BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXII
G
92
NAPOLI

92

N° 4 Ce

Digitized by Google

ENCHIRIDIUM
EX OPERE
BENEDICTI XIV. P. M.
DE
SACRIFICIO MISSÆ
CONFLATUM

Nunc denuo typis excuſum

JUSSU

NICOLAI SPINELLO
EPISCOPI AVERSANI

Ad uſum Cleri ſuæ Diœceſis.

BIBLIOTECA NAZ.
V. EMANUELE III NA

NEAPOLI, MDCCLI.
Ex Typographia Joannis de Simone.
Superiorum permiſſu.

NICOLAUS
SPINELLO
EPISCOPUS AVERSANUS

Dilectis Filiis Sacerdotibus, & Clericis ſuae Dioeceſeos Salutem in Domino.

SI qua prae caeteris inſtitutio maxime utilis, ac neceſſaria videtur tum Sacerdotibus univerſis, tum iis qui Sacerdotum in Eccleſia gradum ſunt conſcenſuri; ea ſane eſt quae Sacram complectitur liturgiam. Quisquis enim ſecum animo reputaverit Sacroſanctae Actionis hujus auguſtam Majeſtatem, is profecto intelliget nihil uſquam majore excolendum ſtudio eſſe; ne quid forte in Miſſa celebranda rerum ignoratione peccetur. Nos igitur Cleri Nobis concrediti commodis conſulentes Paſtoralis noſtri muneris partes eſſe duximus ite-

rum in lucem evulgare hoc Enchiridion ſuis Erotematibus ſeu interrogationibus diſtinctum, quo, in arctum pene contracto magno Eccleſiaſticae diſciplinae, atque Eruditionis campo, unico prope oculorum ictu, omnia quae ſacram ſpectant ſynaxim, cernenda exhibentur. Ea igitur qua par eſt, diligentia, & ſtudio illud excipite; ut eo duce & tanti Sacrificii doctrinam, atque praxim faciliore methodo haurire poſsitis; & nullam inter celebrandum Vobis ipſi peccati maculam conquiratis. Interim Chriſtum Jeſum Pontificem magnum, aeternumque Sacerdotem ut ſua vos Dilecti Filii benedictione ditet, ditatoſque cuſtodiat, enixe adprecamur.

AN-

ANDREAS BASSANUS

Lectori.

ERam forte Patavii apud Virum, doctrina & humanitate inter paucos celebrem, Jacobum Facciolatum, cujus inſigni in me amore, & munificentia ſingulari per ſex ipſos menſes uſus ſum, in magna fortunarum mearum jactatione, quarum ille curam benevole atque amanter ſuſceperat; cum luculentiſſimis illius Seminarii typis, ampliſſima forma, in lucem prodiit, latine redditum, & multis partibus ab Auctore auctum, eruditiſſimum Opus BENEDICTI XIV. P. M. De Sacrificio Miſſæ, *cujus editionem Vir Clariſſimus honorificentiſſimo ipſius Pontificis juſſu curaverat. Et Operis argumentum, & Auctoris nomen legendi cupiditatem injecit. Quid enim erat, argumentum ſi ſpectes, Clerico accommodatius? quid, Au-*

ctorem ſi conſideres, quem in re tanti momenti tuto ſequi poſſis, utilius? Itaque legi, relegi, perlegi: multa quoque, quæ mihi in animo alte infigi cupiebam, excerpſi atque deſcripſi; nihil tamen minus interea cogitans, quam ut totius Operis Compendium poſtea conficerem, tibique, Lector benevole, exhiberem. Sed cum me totum in hoc Vir doctiſſimus quotidie videret, probeque noſſet, quam utilem in eo operam collocarem, Quin tu, inquit, Baſſane, rem Clericis omnibus fructuoſiſſimam gratiſſimamque aggrederis, & præclariſſimi Operis doctrinam tam variam atque multiplicem, tam reconditam, tam nobis omnibus neceſſariam in pauca contrahis, quaſique uno ſub aſpectu legentibus totam ponis ob oculos? Magnum, mihi crede, laborum tuorum fructum capies, multamque inibis gratiam ab omnibus; cum noſtri ordinis nemo ſit, qui tanti Myſterii non peritiſſimus eſſe cupiat, atque adeo debeat, mul-

tique

tique contra reperiantur, quos magna volumina aut mole, aut ſumtu deterreant. Licet me ad id perficiendum minus idoneum eſſe perſpicerem, tamen non potui tanti Viri non commoveri auctoritate, & voluntati parere. Aggreſſus itaque ſum opus alacriter, cum adhuc domi ejus eſſem; &, poſtquam ab illo, novo beneficio auctus, diſceſſi, incboatum & affectum ea, qua per alias occupationes meas licuit, celeritate abſolvi. Opus inter rogantem & reſpondentem diviſi, ut legentium commodo ſervirem, & ne multorum ingenia perpetua oratione retardarem, ſtilo ejuſmodi uſus, qui minimam poſſet alicui moram afferre. Quid ego nunc tibi hujus Operis utilitatem atque neceſſitatem prædicem? Agitur de Sacrificio Miſſæ, agitur ab Auctore & doctrina & dignitate maximo; & ita agitur, ut omnibus, qui ante ipſum hiſce de rebus ſcripſere, longe antecellat. Nullum ille Scriptorem veterem,

aut

aut recentem præteriit ; nullamque rem omiſit , quæ huc ſpectare aliquo modo videri poſſet . Vin' tu omnium Eccleſiarum mores & inſtituta doceri ? docet . Vin' tibi omnium Ordinum ritus & cœremonias explicari ? explicat . De ſummo Pontifice , de Cardinalibus, de Epiſcopis , de Parochis , de Sacerdotibus cujuſvis generis inſtitui poſtulas ? inſtituit . Difficultates , quæ multæ & graves in ipſo Sacrificio identidem occurrunt , tibi expediri deſideras ? expedit . Æqui bonique fac igitur , humaniſſime Lector , laborem hunc , qualemcumque , meum tua cauſſa ſuſceptum : qui utinam etiam ab ipſo Operis Auctore , cujus ſanctiſſimos pedes ea qua par eſt , veneratione deoſculor , non improbetur ; quemadmodum ſtudium tuî juvandi meum ab eodem probatum iri confido . Vale .

IN-

INDEX CAPITUM.

PARS I.

CAPUT I.

De loco, in quo Miſſæ Sacrificium faciendum eſt: tum de Templorum conſecratione. pag. 1

CAPUT II.

De Altari & ejus Ornamentis. 3

CAPUT III.

De Vaſis Sacris aliiſque rebus neceſſariis. 7

CAPUT IV.

De Hoſtia. 12

CAPUT V.

De Veſtibus Sacerdotalibus, & earum Colore? 14

CAPUT VI.

De Symbolico Sacrarum Veſtium ſignificatu. 18

CAPUT VII.

De Miniſtro qui Sacerdoti celebranti inſervit. 20

CAPUT VIII.

De Ablutione Manuum. 21

CAPUT IX.

De Pſalmis dicendis a Sacerdote antequam induat ſacras Veſtes. 22

CAPUT X.

De Etymologia Miſſæ. ib.

CA-

INDEX

CAPUT XI.

De lingua qua Miſſa celebratur. 23

PARS II.

CAPUT I.

De Miſſæ initio uſque ad Introitum. 25

CAPUT II.

De Introitu Miſſæ. 30

CAPUT III.

De Kyrie eleiſon. 33

CAPUT IV.

De Hymno Gloria in excelſis. 35

CAPUT V.

De Collectis. 37

CAPUT VI.

De Epiſtola. 41

CAPUT VII.

De Graduali, Alleluja, Tractu, & Sequentia. 44

CAPUT VIII.

De quibuſdam cæremoniis. 46

CAPUT IX.

De Evangelio. 48

CAPUT X.

De Symbolo. 52

CAPUT XI.

De Offertorio. 56

CAPUT XII.

De manuum Ablutione. 62

CAPUT XIII.

De oratione Suſcipe, ſancta Trinitas, *& Se-*

& Secretis. 63

CAPUT XIV.

De Præfatione. 65

CAPUT XV.

De Canone Miſſæ. 68

CAPUT XVI.

De prima Canonis oratione. 70

CAPUT XVII.

De ſecunda Canonis oratione. 79

CAPUT XVIII.

De tertia Canonis oratione. 81

CAPUT XIX.

De quarta Canonis oratione. 89

CAPUT XX.

De quinta Canonis oratione. 98

CAPUT XXI.

De ſexta Canonis oratione. 100

CAPUT XXII.

De oratione Dominica. 107

CAPUT XXIII.

De oratione Libera nos &c. 110

CAPUT XXIV.

De Infractione Hoſtiæ. 112

CAPUT XXV.

De Communione Sacerdotis. 122

CAPUT XXVI.

De Communione Populi. 126

CAPUT XXVII.

De orationibus, quæ ſubmiſſa voce dicuntur in Miſſa. 135

CAPUT XXVIII.

De Miſſa a communione uſque ad finem. 142

PARS III.

CAPUT I.

De præcepto ſacrificandi. 149

CAPUT II.

Quando plura Miſſæ ſacrificia eodem die ab eodem Sacerdote offerri poſſint. 156

CAPUT III.

De Oratoriis privatis. 162

CAPUT IV.

De Miſſa tempore, de Applicatione, de Eleemoſyna. 169

CAPUT V.

De Sacrificio valido & licito. 178

CAPUT VI.

De occaſione Sacrificii abrumpendi. 199

CAPUT VII.

De defectibus, qui in Miſſa occurrunt, eorumque remediis. 209

CAPUT VIII.

De Sacerdote in Miſſa, vel extra Miſſam Euchariſtiam ſuſcipiente, vel aliis miniſtrante. 220

DE SACRIFICIO MISSÆ

PARS I.

CAPUT I.

De loco in quo Miſſæ Sacrificium faciendum eſt: tum de Templorum conſecratione.

Miſſæ Sacrificium quo in loco faciendum?

R. IN Templis omnibus ab Epiſcopo conſecratis, vel ab ipſo, aut a ſimplici aliquo Sacerdote, ejuſdem juſſu, benedictis: atque adeo etiam in privatarum ædium Sacellis ex Summorum Pontificum conceſſione. Num autem, & quando, extra Templa & privata Sacella Sacrum peragi poſſit, alio explicandum loco relinquimus.

Etiamne primis Eccleſiæ temporibus in Templo Miſſa celebrari conſuevit?

R. Licet ſub ipſum Chriſtianæ Religionis initium *in tertia domus contignatione* Miſſam celebrari ſolitam D. Lucas tradiderit, non tamen diutius Templa deſiderata fuiſſe, ex antiquis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis diſcere poſſumus. In iis porro (paulo poſt etiam conſecratis) Sacra fieri deinde conſueverunt. A qua conſuetudine nunquam Veteres receſſiſſe legimus, niſi cum, impiis nefariiſque tyrannis Chriſtianos perſequentibus, ſacraſque Ædes furioſe evertentibus, Templorum copia defeciſſet. Ad hæc tempora referri debent verba illa Dionyſii Alexandrini apud Euſebium lib. 7. Eccl. Hiſt. c. 22. *Quivis locus, in quo varias ærumnas ſingillatim pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer inſtar Templi ad ſacros conventus peragendos fuit.* Porro autem *ſacros conventus peragere*, *Collectas facere*, *Dominicum celebrare* ſunt modi dicendi ejus ætatis, qui ad Miſſæ Sacrificium referuntur.

Quis conſecrandi Templa morem inſtituit?

R. Multa eorum quæ in Nova Lege perficienda fuerant, primum in Veteri quaſi adumbrata fuiſſe, neminem, niſi

forte

forte in S. Literis hoſpitem ac peregrinum, ignorare arbitramur. In horum numero Templorum quoque conſecrationem ponimus, quæ per *Altaris Sanctificationem* a Moyſe, & per *Templi Dedicationem* a Salomone ſignificata eſt, Apoſtolica vero inſtitutione nobis tradita & confirmata. Non tamen ita multas cæremonias primis illis temporibus adhibitas fuiſſe putamus, quales hodie in Templis conſecrandis adhibemus.

Cur in Altari, vel ſaltem in petra ſacra, Reliquiæ Sanctorum includuntur?

R. Antiqui Chriſtiani metu Tyrannorum cryptas & cœmeteria quærebant ad ſacros conventus agendos; ipſiſque Martyrum ſepulcris pro altaribus utebantur. Inde moribus receptum & legibus confirmatum, ne quis niſi ſupra reliquias Sanctorum Miſſæ Sacrificium celebret.

CAPUT II.

De Altari & ejus Ornamentis.

Quot eſſe debent in Templo Altaria?

R. UNum ſatis eſt; & quidem primis Eccleſiæ temporibus unum dumtaxat in quolibet Templo erat Al-

tare. Nihil tamen prohibet, quin multa ſint.

Qua ex materia conſtare debet Altare?

R. Lapidea. Quamquam ſatis eſſe decretum eſt, ſi Lapidem medium habeat ab Epiſcopo conſecratum, ita latum ut Hoſtiæ & Calici ſuper impoſito recipiendo ſit accommodatus.

Quibus ornari debet Altare?

R. *Linteis* mundis tribus ab Epiſcopo, vel a quovis alio hujuſmodi facultatem habente benedictis. *Pallio* ad ornandam Aræ faciem coloris qui Feſto quod ibi agitur, reſpondeat. *Cruce* media inter candelas ſaltem duas. *Tabellis*. *Pulvino*. *Cereo*. *Campanula*. *Ampullis* vitreis binis, quarum una vinum, aquam altera contineat, *Pelvicula* impoſitis. *Manutergio*.

Erantne Altaria in Lege Naturæ?

R. Erant. Nam, ut habemus ex Moyſe Geneſ. 1. 28. Jacob, cœleſti quadam viſione monitus, lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, erexit in titulum, oleoque unxit; quod Altarium etiam conſecrandorum inſtitutionem nobis ſignificat.

Al-

Altaria in Lege Veteri qua ex re conſtruebantur?

R. Ex terra, vel ex lapide, ut docemur Exodi c. 20. Ære autem operiebantur, ut eſt in Exodi c. 27.

Qualia erant primis Eccleſiæ temporibus?

R. Enimvero tum lignea fuiſſe Altaria, & in ligneis Altaribus SS. Apoſtolos, Jeſu Chriſti exemplum ſecutos, qui menſæ ligneæ accumbens ſemetipſum Deo Patri obtulit, Miſſam celebraſſe, ex Optato Milevitano eruimus, & ex Traditione compertum habemus.

Nullane erant eo tempore lapidea?

R. Nihil certi, ad hanc rem quod attinet, afferre poſſumus; ſed lapidea etiam fuiſſe vero ſimile exiſtimat Juveninus de Sacram. Diſſert. 5. de Euchar, q. 8.

Quando igitur certum eſt lapidea fuiſſe?

R. Exeunte Seculo IV. Neque lapidea ſolum; ſed etiam argentea poſterioribus Seculis nonnulla fuiſſe Altaria, tam certum eſt, quam quod maxime.

Illud tamen incertum, ſolido ne ex argento conſtructa eſſent, an, lignea, vel lapidea cum eſſent, argenteis laminis contegerentur.

Quinam eſt Petra ſacra uſus in Altari?

R. Niſi Altare, ſive ligneum ſive lapideum, ſit conſecratum, ſaltem petra conſecrata debet eſſe, ſupra quam ſacra Myſteria fiant: aliter celebrari Miſſam non poſſe ſanxit Eccleſia. Petra hæc in vetuſtis monumentis interdum appellatur *Viaticum*.

Quis & quare Crucem in medio Altari erigendam voluit?

R. Id Apoſtoli iniſtituerunt; ut Crucis aſpectu in memoriam Sacerdos Chriſti Paſſionem revocaret, quam Miſſæ Sacrum ad vivum repræſentat.

Quare Candelarum uſus in Miſſa?

R. Prioribus Eccleſiæ ſeculis cum ſacra Myſteria noctu celebrarentur, duplex erat candelarum uſus, nunc unus eſt, idemque ſymbolicus, ut per eas lumen cœleſte ſignificetur. Ceterum duæ candelæ circa Crucem poſitæ Chriſtianum & Judaicum Populum præ ſe fuerunt.

Quid

Quid tradis de Linteis?

R. Linteorum uſus eſt antiquiſſimus. Porro ad majorem Sacrificii reverentiam terna eſſe debent, eaque mundiſſima & benedicta, ut diximus, quorum ſuperius ad terram uſque utrinque eſt demittendum. Linteum illud, ſuper quo proxime explicatur *Corporale*, in vetuſtis ſcriptis dicitur *Subſtratorium.*

Quid de reliquis mones?

R. De Cereo & Campanula alibi. Pallii & Manutergii uſus eſt per ſe notus. Tabellæ Sacerdotum commodo admiſſæ. Pulvinum *miniſtranda eſſe tempo. ralia prædicanti Verbum Dei*, ſignificare tradit Innocentius III. lib. 2. c. 41.

CAPUT III.

De Vaſis Sacris aliiſque rebus neceſſariis.

Quæ ex materia conſtare Calicem oportet?

R. Aureus debet eſſe Calix, vel ſaltem argenteus, ſed interiore parte inauratus: quod etiam de Patena dictum volo.

Quibus rebus inſtrui debet?

R. Primum Purificatorio, deinde Patena cum Hoſtia, tum Palla, demum Velo, & Burſa cum Corporali. Veli & Burſæ color idem ſit, qui ceterorum Paramentorum.

Suntne hæc omnia ab Epiſcopo conſecranda?

R. Calix & Patena Epiſcopi conſecrationem requirunt. Reliqua verò ſatis eſt ſi ab alio quolibet poteſtatem habente benedicantur.

Quare Calix & Patena conſecrari debent ab Epiſcopo, reliqua non item?

R. Calicem & Patenam conſecrandi ideo Epiſcopo tantum reſervata facultas eſt, quia id fieri ſine ſacra Unctione non poteſt. Reliqua unctione non indigent.

Quis primus Calicem a prophano ad ſacrum uſum traduxit?

R. Chriſtus Dominus in ultima Cœna, cum auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit.

Sem-

Semperne aurei, vel argentei Calices ſunt adhibiti?

R. Minime; ſed lignei etiam, & aliquando vitrei, præcipue cum in Chriſtianos odium ſuum effunderent tyranni: non tamen ita, ut teterrimis etiam illis temporibus aurei & argentei deeſſent, ut ſacras Hiſtorias legentibus patet. Immo gemmis quoque & picturis ornatos in uſu fuiſſe, Chryſoſtomus & Tertullianus affirmant.

Soli ne Sacerdotis Calicibus utebantur?

R. Olim Populus quoque Calice uſus eſt. Cum enim ſacrum Baptiſmum ſuſcepiſſet, Euchariſticum Panem, & ſacratiſſimum Chriſti Sanguinem ex Calice ſumebat, qui iccirco *Baptiſmi Calix* appellatus eſt. Fuit etiam *Calix Miniſterialis*, ſeu ſcyphus, quo aliis temporibus Chriſti Domini Sanguis populo præbebatur, addita fiſtula, ut id minore periculo fieret. Sed Calices hujuſmodi ſemoti ſunt, contracta Calicis communione ad ſolos Sacerdotes.

Quando Patena uti cœptum eſt?

R. Patena Apoſtolos uſos eſſe ſcimus. Ceterum & ipſa aurea, vel argentea, non ſecus ac Calix eſſe debet, ut diximus.

mus. Fuere olim capaciores quædam Patenæ, quibus Chriſti Domini Corpus ſub ſpecie panis populo miniſtrabatur, unde & ipſæ *Miniſteriales* dictæ. Quæ ideo obſolevere, quia non ita multi noſtris hiſce temporibus, dum Miſſa peragitur, ſacram ſumunt Euchariſtiam.

Quid tradis de Corporali?

R. Corporale, quod olim altare magnitudine ſua æquabat, e lino conſtare oportet. Cur autem adhibeatur in Miſſæ Sacro, illud ſcilicet in cauſſa eſt, quod, quemadmodum Calix Chriſti ſepulcrum, ſupra portam revolutum lapidem Patena ſignificat, ita Corporale Syndonem, qua involutum eſt Chriſti cadaver, nobis exhibet. Quas ſignificationes his duobus verſiculis comprehenſas habes:

Ara Crucis, Tumulique Calix, Lapidiſque Patena,
Syndonis officium candida Byſſus habet.

Quinam Purificatorii uſus?

R. Purificatorium, cujus mentio apud veteres nulla eſt, ad tergendum Calicem additum eſſe, res ipſa nomenque declarat. Græci ſpongia utuntur.

Quid

Quid eſt Palla.

R. Palla, quæ & *Peplum*, & *Sudarium* appellari aliquando conſuevit, eſt parvum quoddam Corporale, quo Calix tegitur. Theatinis a Paullo IV. duplex conceſſa, ut non ſolum Calicem, ſed Hoſtiam quoque contegerent. Primis Eccleſiæ temporibus nullus fuit Pallæ uſus, ſed Corporali ipſo Calix tegebatur; quem ritum adhuc ſervant Carthuſiani.

Quid Velum?

R. Operiendi Calicis uſus Apoſtolorum temporibus viguit; Velum autem, quo operiebatur, linteum fuiſſe, illud argumento eſt, quod lavari conſueverat. Nunc ſericum eſſe oportet.

Quem in uſum Burſa inventa?

R. Burſa, quæ & *Pera* dicitur, & *Capſula Corporalium* in Ordine Romano, Corporale, reverentiæ & munditiæ cauſſa, continet.

Quid de Ampullis præcipis?

R. Ampullæ vitreæ ſint, ut vinum ab aqua facile diſtinguatur. In antiquis monumentis *Amæ*, & *Amulæ* dicuntur. Atque olim quidem capaciores erant, eam

ſcilicet ob cauſſam, quia toti Populo ſufficere debebant.

CAPUT IV.

De Hoſtia.

Panis conſecrandus quomodo olim parabatur?

R. ERat in more poſitum antiquis, ut Fideles panem in Miſſa conſecrandum, quem ipſi ſubegiſſent, Sacerdotibus offerrent. Sed cum panis hujuſmodi interdum ſatis mundus non eſſet, oblata farina, Clericis onus ceſſit panis conficiendi: unde verſiculi:

Pura ſit Oblata. Nunquam ſine lumine cantes.
Hac & triticea ſit. Presbyteri faciant hanc.

Qua magnitudine fuere iis temporibus Hoſtiæ?

R. Cum Sacerdotes Hoſtias conſecratas frangerent, quas Populo diſpertirentur, neceſſe eſt credere, eas noſtris fuiſſe grandiores.

Quando igitur ad eam, qua nunc ſunt, exiguitatem ſunt redactæ?

R. Seculo XII. Cauſſam affert Honorius Auguſtodunenſis in Gemma Animæ lib. I. c. 66. quod nimirum uſus præbendi

bendi ex illis Populo Euchariſtiam obſoleverit.

Quanam earum forma?

R. Quadrata apud Græcos, apud nos rotunda. Quæ quidem forma non nuperum inventum eſt, ſed antiquiſſimum, cum de ea S. Zephirinus Pontifex, qui III. Seculo vixit, in Decreto quodam ſuo mentionem faciat.

Quare hac forma utitur Eccleſia?

R. Hujus rei alii cauſſam afferunt, quia *Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi qui habitant in eo*. Alii hanc veluti denarii formam probatam eſſe credunt, quod Chriſtus denariorum pretio traditus Judæis fuerit; & quod denarius in vinea laborantibus mercedis loco ponatur. Ceterum, ut addamus hoc etiam, aliquam Chriſti, aut Crucis, aut Sanctiſſimi Nominis Jeſu figuram in Hoſtiis imprimere vetuſtiores Chriſtiani conſueverunt.

CA-

CAPUT V.

De Veſtibus Sacerdotalibus, & earum Colore.

Quibus Veſtibus, dum Sacris operarentur, utebantur Apoſtoli?

R. VEſtes, quibus nunc utuntur Sacerdotes, cum Sacra faciunt, fuere olim Clericis Laiciſque communes. Credibile tamen eſt, Apoſtolos ob Sacrificii reverentiam nitidiores veſtes adhibuiſſe, quam quibus per urbem ambulantes utebantur.

Noſtris hiſce temporibus Veſtium Sacerdotalium quæ prima occurrit?

R. Amictus; qui, quod collum Sacerdotum amiciat; ſic eſt appellatus. Seculo VIII. in uſu eſſe cœpit, quo Laicis etiam, nedum Clericis, collo nudato incedere indecorum eſſe viſum fuit. In vetuſtis monumentis dicitur *Anaboladium*, et ſupra Albam poni conſuevit; quod nunc Ambroſianis et Canonicis Lugdunenſibus in uſu eſt.

Quo nomine altera appellatur?

R. Amictum excipit Alba, ita ex albo colore dicta, quæ ad pedes uſque ſolet

let demitti. Hac porro (quæ linea, non lanea, eſſe debet) non in Sacris ſolum, ut hodie fit, ſed promiſcue utebantur olim Eccleſiaſtici. Imo Imperatores ipſos hac veſte in publicum prodiiſſe, teſtantur Hiſtorici. In vetuſtioribus libris dicitur *linea Dalmatica*, interdum autem et *Camiſus*, et *Camiſia*, et *Camiſile*: Græci *Poderem* vocant.

Poſt Albam quid ſumere oportet?

R. Cingulo lumbos, non pectus, ut nonnulli perperam faciunt, præcingito. Porro Cingulum aliquando *Baltheum*, aliquando *Zona* appellatum eſt.

Quid quarto loco ſumendum?

R. Manipulus, qui ſiniſtræ eſt aptandus. Hujus uſum alii Seculo X. alii VIII. invectum eſſe tradunt. At omnes in eo conſentiunt, ut *Sudarioli* ſeu *Mappulæ* loco, qua veteres Sacerdotes utebantur, ſucceſſerit. Ceterum, quod hodie ſoli Epiſcopi ſervant, ut poſt *Confiteor* Manipulo induantur, id Sacerdotibus omnibus olim erat commune. Ea autem de cauſſa poſt *Confiteor* tantum brachio Manipulus alligabatur, quod eo ſolum tempore Planeta complicaretur, ut brachiis uti Sacerdotes poſſent, ut infra docebimus. Græci utique brachio Manipulum aptant, et *Epimanicion* vocant.

cant. Clerici Romanæ Eccleſiæ olim contendebant, ſibi unis licere Manipulis uti: ſed S.Gregorius Magnus permiſit primis Diaconis Ravennatenſibus, dum celebranti Epiſcopo miniſtrarent, mappulas geſtare.

Quid poſtea?

R. Quinto loco ſacra Stola eſt, quæ olim *Orarium* appellabatur, et erat aliquanto longior. Primis Eccleſiæ temporibus nullus erat locus, tempuſque nullum, quo non eam Epiſcopi, et Presbyteri, atque adeo etiam Diaconi primo Ordinationis anno geſtarent. Obſolevit conſuetudo, eamque retinet ſolus Romanus Pontifex, qui Stolam nunquam ponit.

Quam Veſtem ſexto loco recenſes?

R. Planetam, quæ etiam *Caſula* dicitur. Hujus forma priſcis temporibus alia erat, ac nunc eſt. Ita enim totum Sacerdotem veſtiebat, ut nullus uſus brachiorum eſſe poſſet, niſi ſuſtolleretur, vel fibula ſubligaretur. Atque hinc ortum eſt, ut cum Sacerdos conſecratam Hoſtiam elevans Populo oſtendit, miniſter poſteriorem Planetæ partem extollat. Hinc etiam fit, ut in Quadrageſima & jejunii tempore Diaconus & Subdiaconus Sacerdoti ſolemnem Miſſam

ce.

celebranti miniſtrantes complicata in anteriore parte Planeta utantur.

Quinam harum Veſtium colores?

R. Licet pacatis Eccleſiæ rebus initio Seculi IV. nonniſi albi coloris Veſtes a Sacerdotibus adhiberentur, tamen proceſſu temporis, Seculo nimirum XII. Innocentio III. ſummo Pontifice, cum Confeſſorum & Virginum Feſta agerentur, albo, rubeo, Apoſtolorum & Martyrum diebus ſolemnibus; nigro, diebus jejunii, in Commemoratione mortuorum, Adventus tempore, & a Septuageſima ad Sabbathum Sanctum; diebus denique Feriarum viridi locus eſſe cœpit. Violaceum non commemorat Innocentius: conſtat tamen ante Seculum XIII. in uſu fuiſſe. Græci adhuc duos tantum colores uſurpant, album, & rubeum.

Quid tradis de Birreto?

R. Birretum a *Birro* dicitur. Eſt autem *Birrum* veſtis, qua corpus tegitur, *Birretum* pars veſtis, qua tegitur caput. Succeſſit loco Amictus, quo caput obnubere Sacerdotes ſolebant, ut adhuc faciunt Mendicantes Cœnobitæ.

Poteſtne quis tecto capite Sacra facere?

R. Solus Romanus Pontifex hujuſmodi

di facultatem concedit; qui tamen ita concedit, ut ſemper jubeat pileolum ex capite detrahi a Præfatione uſque ad finem Communionis.

CAPUT VI.

De Symbolico Sacrarum Veſtium ſignificatu.

Quænam eſt ſymbolica Amictus ſignificatio?

R. Amictus ſignificatio alia refertur ad Chriſti Paſſionem per allegoriam quamdam, alia ad mores. Ad primum quod attinet, velum illud Amictu ſignificatur, quo Judæi Chriſti Domini caput obnupſerunt, ut eum colaphis cæderent; tum etiam ſpinea corona, quam illi impoſuerunt. Ad mores pertinet caſtigatio vocis, & operum fortitudo, & alia hujuſmodi, quæ Eccleſiæ orationibus exprimuntur, dum Amictus ſumitur.

Quid Alba ſignificat?

R. Alba vitam puriſſimam, quam Chriſtus vixit, cum in terris degeret, in memoriam revocans monet, qua puritate animi & integritate Sacerdos ad Altare debeat accedere. Allegorice autem nobis ob oculos ponit veſtem il-

lam,

lam, qua indutum Chriſtum Jeſum Herodes irriſit.

Quid Cingulo deſignatur?

R. Continentia quam toto vitæ ſuæ curriculo ſervare debet Sacerdos. Poteſt etiam pia quadam interpretatione funis ille ſignificari quo Jeſus Chriſtus in Horto vinctus & raptus eſt a Judæis.

Quid Manipulo oſtenditur?

R. Fructus bonorum operum & pœnitentia. Brachium enim ſiniſtrum, cui alligatur, præſentem vitam ſignificat. Allegorice vincula illa referri videntur, quibus Chriſtus Dominus conſtrictus eſt, cum eſſet ad columnam flagellandus.

Quid Stola?

R. Stola quæ Sacerdotis collo alligatur, Chriſti jugum ſignificat, hoc eſt obedientiam, qua Deo placere debemus. Allegorice tertia illa vincula nobis repræſentat, quibus Chriſtus ſibi Crucem bajulans alligatus eſt.

Quid per Planetam intelligitur?

R. Charitas, quæ in Sacerdotibus maxime prælucere debet: idque exprimitur per orationem Epiſcopi Sacerdotium conſe-

ferentis. Eſt etiam imago quædam veſtis illius inconſutilis, quam Chriſto detraxerunt Judæi, cum eum Cruci affixuri eſſent.

CAPUT VII.

De Miniſtro qui Sacerdoti celebranti inſervit.

Sacerdos celebrare ne poteſt ſine Miniſtro?

R. Minime. Imo olim Populus qui Miſſæ Sacris intereſſet, hoc officio fungebatur. Poſtquam vero mos hic in deſuetudinem abiit, unus tantum Miniſter locum tenuit, qui maſculus eſſe debet, non femina; atque adeo in pluribus Conciliis, ac præſertim in IV. Mediolanenſi, ut Clericus ſit talari veſte & ſuperpelliceo indutus, requiritur. Sed hac de re fuſius alibi.

Poteſtne celebrari Miſſa, nullo adſtante, præter Miniſtrum.

R. B. Petrus Damianus in Opuſculo ad Eronem, cui titulus, *Dominus vobiſcum*, nullo præſente præter miniſtrum hæc verba dici poſſe contendit. Iis enim Eccleſiam ſalutari affirmat. Suffragatur huic opinioni Cardinalis Bona propugnans eadem ratione Sacerdotem poſ-

ſe

ſe in Miſſa ſolum dicere *Dominus vobiſcum*, *Orate fratres*, *Surſum corda*, qua in recitandis Horis Canonicis dicit *Venite adoremus*, *Venite exultemus*, *Oremus*, *Benedicamus Domino*.

CAPUT VIII.

De Ablutione Manuum.

Conſuetudo manus lavandi ante Miſſam pendetne ex veteri Lege?

R. NEgat D. Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 5. contenditque obſervari morem hunc ab Eccleſia non tanquam ab veteri Teſtamento deſumtum, ſed ab ipſa ſapienter inſtitutum, ut mundius Sacra tractentur.

Quamdudum eſt inſtitutus?

R. Ejus meminit Chryſoſtomus Homilia 20. de ſimultate ad Populum Antiochenum & Homilia 52. in Matthæum. Paulinus Tyri Epiſcopus apud Euſebium lib. 10. c. 14. & Paulinus item Nolæ Epiſcopus epiſtola 32. ad Severum, lavacra memorant prope Templa collocata, non ad Sacerdotum modo, ſed omnium Chriſtianorum commodum, qui eſſent ingreſſuri.

CA-

CAPUT IX.

De Pſalmis dicendis a Sacerdote antequam induat ſacras Veſtes.

Quænam Orationes dicendæ ante Miſſam?

R. PRimis Eccleſiæ temporibus recitari ſolebant ſeptem Pſalmi Pœnitentiales; dum autem ſacris Veſtibus indueretur Sacerdos, Pſalmus 83. *Quam amabilia.* 84.*Benedixiſti.* 85.*Inclina.*115. *Credidi*; & cum ad Altare perveniſſet, Pſalmus 42. *Judica me Deus* dicebatur.

CAPUT X.

De Etymologia Miſſæ.

Unde appellatio Miſſæ?

R. DE Miſſæ appellatione in diverſas abeunt ſententias Eruditi. Alii a voce Hebraica *Miſſach*, quæ idem eſt ac nobis Oblatio, eam ductam volunt; alii a voce *Mes*, quæ apud Septemtrionales Gentes etiam nunc Conventum, Feſtivitatem, Sacrificium ſignificat, derivatam contendunt; alii Latinam vocem eſſe, & per eam Populum dimitti. Hoc ſenſu *Miſſa* idem eſt ac miſſio. Porro primis Eccleſiæ tempori-

bus

bus duæ miſſiones erant; prima, qua Catechumeni & Pœnitentes, cum ventum ad oblationem erat, dimittebantur; altera, qua Populus univerſus, expleta Miſſa, dimittebatur. Propterea Sacrificium interdum plurali voce exprimitur, ut cum dicimus *Miſſarum ſolemnia*.

CAPUT XI.

De lingua qua Miſſa celebratur?

Qua lingua Miſſa eſt celebranda?

R. LAtina in Eccleſia Romana, Græca in Græca.

Apoſtoli qua lingua Miſſam celebrarunt?

R. Apoſtoli, eorumque Succeſſores ea lingua prædicabant & Sacrum faciebant, qua utebantur ii Populi, apud quos erant. Atque hæc cauſſa eſt, cur in Occidentali Eccleſia latina ſemper retenta ſit. Hæc enim per ea tempora vernacula erat, omniumque communis?

Nobis licet ne vernacula uti lingua?

R. Ab inveterata Eccleſiæ conſuetudine recedere nefas eſt. Pleræque enim vulgares linguæ ineptæ ſunt. Accedit, quod non dicam Genti cuivis, ſed cui-

vis

vis prope Civitati peculiaris ac propria lingua eſt. Quid quod frequentiſſimæ ſunt linguarum mutationes atque viciſſitudines? Ex his autem varietas oritur interpretationum; & ex hac varietate contentiones manant ac diſſidia. Neque obſtat, quod ajunt, Populo latinam linguam ignotam eſſe. Paſtoribus enim & ſacris Oratoribus explanandi & exponendi, quæ in Miſſa leguntur, a ſacra Tridentina Synodo onus imponitur.

Hebræi ſua lingua in Sacris peragendis uſi ſunt, Græci adhuc utuntur; cur nos non utamur?

R. Hebræorum & Græcorum conſuetudo tantum abeſt, ut infirmet Eccleſiæ Occidentalis conſuetudinem, ut magis etiam confirmet. Hebræi enim cum Syriacum & Chaldaicum ſermonem adſciviſſent, in lectione tamen legis, & in reliquis publicis ſupplicationibus Hebraicum ſemper retinuerunt. Quid Græci? annon & ipſi veterem illam, Viris tantum doctis familiarem, Linguam in re divina facienda adhibent? Eodem igitur jure & nos utimur, cum latino ſermone Sacra peragimus, qui noſter quondam fuit totique Occidentali Eccleſiæ popularis.

DE

DE

SACRIFICIO MISSÆ

PARS II.

CAPUT I.

De Miſſæ initio uſque ad Introitum.

Quodnam eſt initium Miſſæ?

R. CRucis ſigno præmiſſo, unde ex Apoſtolico inſtituto omnium ſuarum actionum initium Chriſtiani ſumunt, antiphona *Introibo*, & pſalmo *Judica me, Deus*, Miſſam exorditur Sacerdos. Hæc ad altare accedenti ſunt maxime propria, ut verba ipſa declarant.

Quid ſignificat hæc vox Antiphona?

R. *Antiphona*, vox Græca, reciprocum & alternum cantum ſignificat. Plerumque tamen pro brevi aliqua ſententia, quæ præſenti actioni conveniat, accipi ſolet, quam a quarto uſque ſeculo Eccleſia utraque, Latina & Græca, pſal-

mis ipſis, unde ſumitur, præcinere conſuevit.

Cur recitatur pſalmus Judica me, Deus?

R. Quia hunc pſalmum David cecinit, cum patria abſens ad Saulis iram vitandam, ſe ipſe ſolabatur ſpe Hieroſolymæ reviſendæ; qua in urbe ſibi liceret ad altare Domini accedere, & ſacrificia offerre. Porro pſalmus hic alternis dicitur, quia tam Sacerdos, quam Miniſter ejuſdem gaudii eſſe debent participes. Clauditur pſalmus verſiculo *Gloria Patri*, quem veteres Patres *Glorificationis hymnum* appellant.

Verſiculus hic unde venit?

R. Ex Apoſtolica traditione. Etenim non fuiſſe compoſitum, ut quidam ſcribunt, in Nicœna Synodo, aut a Flaviano Monacho Antiocheno, ſatis oſtendunt hujus verſiculi teſtimonia apud D. Athanaſium, & Baſilium. Attamen Nicœnæ Synodo tribui debet pars ſecunda, *Sicut erat in principio* &c. quæ ad Arianorum hæreſim retundendam addita fuit.

Quando pſalmus hic ad initium Miſſæ adhiberi cœpit?

R. Seculo ſeptimo; non tamen ab omni-

mnibus ſtatim receptus mos eſt. Nam uſque ad Tempora Pii V. ea varietas in Eccleſia fuit, ut alii pſalmum recitarent, alii prætermitterent. Pius varietatem ſuſtulit in nova Miſſalis emendatione.

Cur in Miſſis Defunctorum & Paſſionis tempore omittitur?

R. Cum pſalmus hic lætitiam maxime præ ſe ferat, neque in Miſſis Defunctorum, neque Paſſionis tempore locum poteſt habere, quo tempore in mœrore & luctu jacet Eccleſia. Ceterum Carthuſianorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & Ambroſianorum alia ratio eſt.

Cur Miniſter quoque Miſereatur, & Confiteor *recitat?*

R. Quia & ipſe, populus ſcilicet, cujus ille perſonam ſuſtinet, ejuſmodi confeſſione, & oratione levium peccatorum veniam ſe conſecuturum confidit, quo puriore mente Deo Sacrificium offerat. De hac mutua Sacerdotis & populi confeſſione eſt illud in epiſtola S. Jacobi cap.5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate invicem, ut ſalvemini.*

Unde trina illa pectoris percuſſio?

R. Ab exemplo Publicani, qui pectus

ſibi percutiens Dominum exoravit. Dolorem autem & veram pœnitentiam ſignificat.

Quis auctor eſt Confiteor?

R. Quidam Pontianum Papam auctorem faciunt; ſed falſo. Illud nobis in re incerta vere videmur poſſe dicere, Apoſtolicæ traditionis eſſe, ut in principio Miſſæ ingenua peccatorum confeſſio fiat. Nam Sacerdotes quoque veteris Teſtamenti eam antequam ſacrificarent, confeſſionis formulam adhibebant: *Peccavimus, Domine, injuſte egimus, iniquitatem fecimus*. Formula vero peculiaris hæc, qua nos in Miſſæ utimur Sacrificio, certe ab anno uſque 1300. in uſu erat.

Cur Sacerdos peccata ſua Sanctis confitetur?

R. Deo quidem confeſsionem peccatorum ſuorum facit Sacerdos, ut ab eo veniam obtineat; Sanctis vero, quia & ipſi in fine ſeculorum cum Chriſto humani generis judices ſedebunt.

Unde eſt oratio Dominus vobiſcum?

R. Inter orationes e ſacra Scriptura depromtas, quibus mentis puritatem poſtulat Sacerdos, ea etiam eſt, quæ per co-

totam Miſſam, ſæpe dicitur, ex lib. Ruth educta cap. 11. v. 4. *Dominus vobiſcum*: cui Miniſter reſpondet, *& cum Spiritu tuo*, verbis ex D. Paullo ad Galatas cap. 6. 18. deſumtis.

Quoties in tota Miſſa dicit Dominus vobiſcum *Sacerdos?*

R. Septies, ut, ſeptem explosis capitalibus vitiis, populus ſeptiformem a Deo gratiam conſequatur.

Cur non ſemper ad populum convertitur?

R. Ter ad populum non convertitur: poſt *Confiteor*, quia totus eſt in expianda anima ſua; ante Evangelium, quia verbo Dei annunciando eſt intentus; poſt Præfationem, quia ſublatum ad Deum animum, proximoque Sacrificio defixum habet.

Qua in parte altaris conſiſtit Sacerdos, cum dicit Dominus vobiſcum?

R. Ita ſe vertit, ut in medio conſiſtat, quingentis ab hinc annis, eoque amplius invecta conſuetudine. Olim enim ad cornu Epiſtolæ dicebatur, ut nunc a Carthuſianis & Prædicatoribus Fratribus fieri videmus.

Cur Sacerdos oſculatur altare?

R. Dictis orationibus *Aufer a nobis* &c. & *Oramus te, Domine* &c. tum primum oſculatur altare Sacerdos, quod pluries in Miſſa facit. Ratio autem, cur id faciat, eſt, quod oſculum genus quoddam ſalutationis eſt, quo profitetur Sacerdos adhærere ſe Chriſto, cui, ſicut membra ejus, conjuncti ſunt Sancti, quorum reliquiæ ibi ſervantur. Carthuſiani & Prædicatores, oſculi loco, altare ipſum inclinato capite ſalutant.

CAPUT II.

De Introitu Miſſæ.

Qua altaris parte Introitum incipit Sacerdos?

R. SIniſtra, quæ *Cornu Epiſtolæ* dicitur. Hæc in veteribus Romanis Ordinibus, & Auctoribus Eccleſiaſticis uſque ad ſeculum decimum quintum pars dextera dici conſuevit ex dextera Sacerdotis ad altare converſi, eorumque, qui in templum ingrediuntur. Sed anno 1485. in Pontificali Romano præceptum fuit, dexteram & ſiniſtram altaris eam eſſe, quæ dextera & ſiniſtra eſt Crucifixi in medio altari collocati. Atque ex illo tempore ſiniſtra pars altaris dicitur,

in

in qua Epiſtola, dextera, in qua Evangelium legitur.

Quibus ex rebus Introitus conſtat?

R. Antiphona, Pſalmo, & Gloria Patri.

Quare Introitus appellatur?

R. Seu quod Miſſæ principium eſt, ſeu quia a choro canitur, cum Sacerdos ad altare accedit. Unde etiam in Ritu Ambroſiano *Ingreſſa* vocatur.

Quis ejus auctor eſt?

R. S. Cœleſtinus I., ut non paucis placet. Sed veriſimilius eſt, auctorem fuiſſe S. Gregorium, ut alii putant. Nam ſanctus iſte Pontifex Antiphonarium compoſuit ſelectis e pſalmorum libro antiphonis, aliis quidem Introitum, aliis etiam Offertorium conficientibus.

Introitus Miſſarum unde ſunt depromti?

R. Omnes Introitus ſunt e pſalmis depromti, paucis quibuſdam exceptis, ut qui dicitur in Nativitate Domini, *Puer natus eſt nobis*; & in Aſcenſione, *Viri Galilæi*; & die Pentecoſtes, *Spiritus Domini*; & in Feſto S. Petri Apoſtoli, *Nunc ſcio vere*; qui quidem licet

e pſalmis deſumti non ſint, e ſacris tamen Paginis ſunt derivati. Sunt etiam quidam, qui neque e pſalmis, neque e S. Scriptura, neque ex Gregoriano Antiphonario petiti ſunt, ut *Salve, Sancta Parens*; *Gaudeamus omnes in Domino*; & *Benedicta ſit ſancta Trinitas*; & *Accipite jucunditatem*, qui ſumtus e lib. 4. Eſdræ cap. 2. feria tertia Pentecoſtes dicitur. Ceterum Introitus olim non legebatur a Sacerdote, ſed a choro præcinebatur; nunc vero etiam cum a choro, ut in Miſſis ſolemnibus, canitur, a Celebrante dicitur, quia fieri poteſt, ut quæ chorus canit, probe non intelligat.

Poſt Introitum quid ſubjicitur?

R. Poſt Introitum pſalmus integer cum verſiculo *Gloria* olim recitabatur. At poſtea, videlicet annis ab hinc ferè mille, viſum eſt, ut primus, aut alter pſalmi verſiculus dumtaxat recitetur. Jam verſiculi pſalmorum, quos ſive ad Introitum, ſive alibi in Miſſa recitantur, ſumti ſunt ex S. Scripturæ Interpretatione, quæ ante S. Hieronymi ætatem in uſu erat, & vocatur *Italica*.

Quid per Introitum ſignificatur?

R. Docent nonnulli, per eum nobis in

in memoriam revocari clamores & deſideria veterum Patrum Meſſiæ adventum exſpectantium.

Quid exprimit cæremonia illa trium ultimorum Cardinalium Presbyterorum Summum Pontificem ad altare accedentem in pectore & in facie oſculantium?

R. Cœremonia hæc tres Magos Reges exprimit, ut diſertiſſimis verbis teſtatur Innocentius III. lib. 2. de Miſter. Miſſæ cap. 2. qui deinde profunda ejus cœremoniæ myſteria explicat, ut per geminum oſculum gemina Chriſti natura, divina quaſi latens in pectore, humana quaſi patens in ore, ſignificetur. Quidam tres Marias a tribus Cardinalibus repræſentari, ſed minus vere, exiſtimarunt.

CAPUT III.

De Kyrie eleiſon.

Quid ſignificant hæc verba Kyrie eleiſon?

R. GRæca verba ſunt, ſignificantque *Domine miſerere.*

Quando hæc verba Miſſæ ſunt addita?

R. Incertum. Illud certum, ea in Li-

turgiis S. Jacobi Apoſtoli, & veterum Græcorum Patrum fuiſſe adhibita. Qui putant, ea a S. Gregorio Magno Miſſæ addita, vehementer errant; cum conſtet, ſexaginta ante S. Gregorium annis ea ab Apoſtolica Sede, & ab Italiæ Provinciis eſſe uſurpata.

Quare in Miſſa Latina verba Græca adhibentur?

R. Non ſolum Græca verba, ſed etiam Hebræa, ut *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Hoſanna*, in Miſſa Latina adhibentur, ut eadem eſſe Eccleſia, atque olim erat Hebræa, & adhuc eſt Græca, oſtendatur.

Quoties repetitur Kyrie eleiſon?

R. Olim numerus repetitionum præfinitus non erat; imo in iis Miſſis, quæ poſt Litanias dicebantur, omnino omittebantur. Nunc vero ter quidem dicitur *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*, itemque poſt iterum ter *Kyrie eleiſon* repetitur, quæ verba alternis a Sacerdote & Miniſtro dicuntur.

CA-

CAPUT IV.

De Hymno *Gloria in excelſis*.

Quis eſt auctor hymni Gloria in excelſis?

R. Credibile eſt, ejus principium ortum ab Angelis, qui Chriſto Jeſu nato cecinerunt, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Reliquas partes quis compoſuerit, incertum eſt. Hunc hymnum *Doxologiam* Græci appellant.

Quando in Miſſa dici cœptus eſt?

R. In Miſſa tantum Nativitatis primum cani cœptus eſt, & a Clero quidem Turonenſi Græce in prima Miſſa: in ſecunda Latine, juxta antiquiſſimam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem. Poſtea vero die Dominico & Feſtis ſolemnibus a ſolo Epiſcopo recitabatur, die tantum Paſchatis a Presbyteris. Poſt ſeculum decimum cuivis Presbytero hunc hymnum recitandi in Miſſa per annum venia conceſſa eſt, præterquam in Miſſis Mortuorum, Feriis intra annum extra tempus Paſchale, Dominicis Adventus, Septuageſimæ, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, Quadrageſimæ (Feriam quintam in Cœna Domini excipe) & toto Paſſionis tempore, quo hymno lætitiæ

pleno locus eſſe non poteſt. In nullis Miſſis Votivis olim dicebatur. Verum in Miſſis Votivis Angelorum, & S. Mariæ in Sabbatho ut legatur, tenet conſuetudo, ex conſuetudine lex.

Quo ſenſu accipienda ſunt verba illa, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam?

R. Novum non eſt, in ſacris Paginis Dei gloriam ſæpe accipi pro ejus gratia & miſericordia. Quare nos agentes Deo gratias propter illius gloriam, gratias illi agimus propter ejus gratiam & miſericordiam, quæ illi vertit in gloriam.

Qua in parte altaris hic hymnus dicitur?

R. In media; licet olim Sacerdos ubivis arbitratu ſuo illum diceret.

Poſt hunc hymnum Epiſcopus dicit, Pax vobis: *unde ea formula profecta eſt?*

R. Ex ſalutatione Chriſti, qua uſus eſt poſt Reſurrectionem ſuam apud Diſcipulos, ut eſt apud Joan. cap. 20. Chriſtum enim Epiſcopus repræſentat.

Semperne hac formula Epiſcopus utitur?

R. Minime. Nam in reliquis ſalutatio-

tionibus dicit, *Dominus vobiſcum*, ut Sacerdotem eſſe ſe oſtendat.

Quando uſurpari cœpta eſt?

R. Seculo decimo in uſu erat, ut ex epiſtola ad Gallos & Germanos Leonis VII. apparet.

In Miſſane tantum adhibita eſt?

R. Hanc formulam olim adhibebat Epiſcopus & Diaconus in quibuſdam Eccleſiaſticis cœremoniis extra Miſſam.

CAPUT V.

De Collectis.

Quid eſt Collecta?

R. Dicto *Oremus*, Sacerdos recitat *Collectam*. Porro hæc vox modo eleemoſynas, modo cœtum Fidelium, modo etiam orationem, quæ in Miſſa dicitur, ſignificat. Quæ oratio ita appellatur, vel quia Sacerdos, inter Deum & hominem conciliator, vota omnium colligit; vel quia brevis eſt oratio, quam recitat Sacerdos ſuper populum congregatum; vel quia omnes collectis in ſe animis cogitationes & affectus ſuos in Deum elevant.

Quis

Quis ejus auctor fuit?

R. Collectæ vis & natura ad Apoſtolica tempora eſt referenda; quod vel tum Chriſtiani ad orandum & adorandum Deum unum in locum convenirent. Earum, quarum uſus in Miſſa, aut S. Gelaſius, aut S. Gregorius auctor eſt. Poſterioris ævi eæ ſunt, *Deus, cujus dextera B. Petrum* &c. & *Deus, qui B. Petro* &c. ſunt Leonis II., *A cunctis* &c. Innocentii III.

Unane, an plures Collectæ in Miſſa dicendæ ſunt?

R. Olim una tantum Collecta dicebatur: imo in Eccleſia Lateranenſi nulla erat, ſed ejus loco *Pater noſter* recitabatur. Sed proceſſu temporis plures dici conſueverunt.

Poteſtne quilibet earum numerum augere?

R. Ut aliquis earum modus eſſet, decretum eſt, ne plures, quam ſeptem dici poſſent. Ideo vero earum numerus impar eſſe debet, quia per eum unitas & conjunctio exprimitur, quam maxime amat Eccleſia. Poſt Collectam tum in Romana, tum in aliis quibuſdam Eccleſiis orationes olim pro ſummo Ponti-

tifi-

tifice, pro Imperatore, Rege, & Epiſcopo dicebantur, quæ laudum nomine cenſebantur.

Poſt Collectam nonne interdum dicitur, Flectamus genua?

R. Ita. Olim autem Diaconus, qui dixerat, *Flectamus genua*, dicebat etiam *Levate*. Temporis tamen aliquid interponebat, quo populus in genua procumbens oraret. Nunc ubi Diaconus præcinuerit, *Flectamus genua*, ſtatim Subdiaconus reſpondet *Levate*.

Cur ad Patrem dirigitur Collecta?

R. Quia Dominus Jeſus ita orare nos docuit: *Pater noſter, qui es in Cœlis* &c. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo* &c. Matth. cap. 6. & Joan. cap. 6. Eſt etiam ea ratio, quia Miſſa eſt repræſentatio quædam illius oblationis, qua ſe Chriſtus Patri obtulit; ac proptera ad ipſum Patrem precationes liturgicæ diriguntur.

Cur clauditur iis verbis: Per Dominum noſtrum &c.

R. Tum quia *nullum aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*; tum quod *unus mediator Dei & hominum Deus & homo Chriſtus Jeſus*; tum

tum denique quod *per eum ſolum habemus acceſſum ad Patrem*, juxta id quod legitur in Actis Apoſtolorum cap. 4. & in epiſtola 1. ad Timotheum cap. 2. & in epiſtola ad Romanos cap. 5.

Unde hac clauſula derivata eſt?

R. Ab Apoſtolis, qui eam a Chriſto Domino acceperunt.

Suntne etiam Collecta ad Filium directa?

R. Sunt Collectæ quædam ad Filium directæ, quæ ita concluduntur, *Qui vivis & regnas* &c. ſed & paucæ ſunt, & fortaſſe non tam antiquæ, quam aliæ. Dedita opera eas addidit Eccleſia, ut doceret, etiam Filium invocari diſertis verbis poſſe.

Quid ſignificat vox Amen, *qua poſt Collectam a Miniſtro dicitur?*

R. Vox Hebræa eſt, quæ plura ſignificat. Interdum enim eſt affirmantis; quandoque deſiderantis; aliquando etiam aſſentientis. Nam quoties ſequitur orationem aliquam, ſignificat deſiderium obtinendi, quæ ſunt in oratione commemorata: cum poſt aliquod Fidei dogma adhibetur, ut poſt recitationem Symboli, tunc rem ita eſſe affirmat: ſi petitio-

tioni alicujus rei adjiciatur, quam exequi ad nos pertineat, veluti cum petit Sacerdos, ut gratiæ Deo agantur, tum vero aſſenſum exprimit.

CAPUT VI.

De Epiſtola.

Cur quod legitur poſt Collectas Epiſtola *dicitur?*

R. Quia etſi interdum ex aliis quoque eſt veteris novique Teſtamenti libris, plerumque tamen ex Epiſtolis D. Paulli deſumitur. Itaque in vetuſtis Codicibus *Lectio ex Apoſtolo* dicitur.

Quando divinarum Scripturarum & Epiſtolæ lectio in Miſſam eſt introducta?

R. Statui poſſe videtur, Apoſtolorum ævo introductam fuiſſe. Verum non ſolum Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta primis Eccleſiæ temporibus, ſed interdum Epiſcoporum etiam ſummorumque Pontificum Literæ in Eccleſia legi conſueverant, præſertim quæ *Pacificæ*, ſeu *Communicatoriæ* dicebantur, quod earum commercio inter Romanum Pontificem ceteroſque Epiſcopos pax & unitas ſervaretur.

Quis

Quis Epiſtolarum & Evangeliorum ſeriem per totum annum digeſſit?

R. D. Hieronymus, ut vulgo creditur, in libro a ſe compoſito, cui *Comitis* nomen indidit.

Quot Epiſtola leguntur?

R. Plerumque una tantum. At in ritu Ambroſiano, & Mozarabico duæ leguntur, quarum altera e veteri, altera e novo Teſtamento deſumta eſt. In Gallicana Eccleſia tres legi conſueviſſe, primam ex Prophetis, alteram ex Apoſtolo, poſtremam ex Evangeliſtis, ſcribit Mabillonus de Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 3.

Quem in finem Lectio inſtituta eſt?

R. Ut Chriſtianus populus erudiatur, & per eam ad Sacrificium præparetur.

Cur Epiſtola ante Evangelium legitur?

R. Qui myſtice tractant de Miſſæ Sacrificio, docent, ideo ante Evangelium Epiſtolam legi, quod Apoſtoli præirent Chriſto, qui eos mittebat *binos ante faciem ſuam*. Innocentius III. lib. 2. Myſte-

ſteriorum Miſſæ cap. 29. ait, Epiſtolam ante Evangelium legi, ut ſignificetur munus Præcurſoris Chriſti, qui venit parare vias ejus.

Cujus munus eſt in Miſſis ſolemnibus Epiſtolam canere?

R. Id primis temporibus munus Lectoris fuit, Seculo autem octavo legi a Subdiacono cœpta eſt. Atque hodie quidem in ipſa Subdiaconi Ordinatione hæc illi expreſſis verbis poteſtas traditur.

Quid ſi Subdiaconus deſit?

R. Poteſt quivis alius Clericus in Minoribus conſtitutus Epiſtolam legere, non tamen Manipulo adhibito.

Debetne interim Sacerdos ſubmiſſa voce Epiſtolam legere?

R. Debet ex Rubrica Miſſalis: quod tamen fit ex diſciplina non ita veteri.

Quid de verbis Deo gratias *doces?*

R. Ita reſpondetur in fine Epiſtolæ. Formula porro vetuſtiſſima eſt, cum & S. Benedictus, & D. Auguſtinus de illa verba faciant.

CA-

CAPUT VII.

De Graduali, Allelluja, Tractu, & Sequentia.

Unde Gradualis *nomen inditum?*

R. **A** Ut quod in altaris gradibus caneretur, aut quod caneretur, Diacono gradus Ambonis ſcandente Evangelii legendi gratia, *Gradualis* nomen invenit. Ceterum *Reſponſorium* etiam dictum eſt, vel quia Lectioni convenire & reſpondere debet, vel quod alternis cantaretur.

Quis ejus auctor eſt?

R. Vel S. Cœleſtinus, vel S. Gregorius.

Vox Allelluja *quid ſignificat?*

R. Vox Hebraica eſt, ſummæ cujuſdam lætitiæ index, & ſignificat *Laudate Dominum*.

Quem hujus vocis auctorem faciunt Scriptores?

R. Davidem, qui ea uſus eſt in Pſalmo 104. Quamquam cum S. Joannes in Apocalypſis capite 19. narret, ſe audiviſſe choros Angelorum in cœlo canentium

tium *Alleluja*, licet conjicere, hanc vocem e cœlo in Eccleſiam eſſe traductam.

Quænam eſt Tractus *etymologia?*

R. *Tractus* a trahendo dictus eſt. Nam tractim, & cum aſperitate vocum & prolixitate verborum canitur.

Quid eſt Sequentia?

R. *Sequentia* rhythmus eſt, qui poſt Epiſtolam canitur. Interdum *Jubilatio* dicitur, aliquando etiam *Proſa*, quod non certa carminis menſura ſervetur. *Sequentiæ* autem nomen inditum, quia *Graduale* conſequitur.

Quot Sequentiis *utitur Romana Eccleſia?*

R. Quatuor. Prima eſt: *Victimæ Paſchalis*, die Paſchatis: compoſita autem fuit ſeculo undecimo a Roberto Francorum Rege. Secunda eſt: *Veni S. Spiritus*, die Pentecoſtes; & Beato Hermanno Contracto ſeculi undecimi tribuitur. Tertia eſt: *Lauda Sion*, in Feſto Corporis Chriſti, cujus D. Thomas auctor perhibetur. Quarta denique eſt: *Dies iræ*, in Miſſis mortuorum, quam ſcripſiſſe exiſtimatur Latinus Cardinalis Urſinus, ſeu Frangipanis, Ordinis Prædicatorum,

qui

qui mortuus eſt anno 1294. Eſt & alia *Sequentia: Lauda, Sion, Salvatoris Jeſus nomen & amoris*, quæ in Feſto Nominis Jeſu dicitur; ſed Fratrum Minorum eſt propria.

Graduale, Alleluja, Tractus, & Sequentia *dicunturne in qualibet Miſſa?*

R. *Graduale*, quod doloris laboriſque ſignum ſit, tempore Paſchali omittitur. A Septuageſima ad Sabbathum ſanctum pro *Allelluja Tractus* dicitur. Prætermittitur hæc vox in Miſſis etiam de Feria per Adventum, & in Vigiliis, in quibus jejunium ſit indictum, Paſchatis & Pentecoſtes Sabbatho ſemper excepto. Omittitur quoque in SS. Innocentium Feſto, quod Eccleſia miſerarum matrum vicem doleat, quæ ante ora ſua lactentes filios viderint trucidari. *Sequentiæ* vero ſuos præſtitutos dies habent, ut diximus.

CAPUT VIII.

De quibuſdam Cœremoniis.

Cur Sacerdos ad humeros elevatis manibus orat?

R. Paſſis quondam ſublatiſque brachiis Sacerdotes orabant, ut ſtatum, quo

quo Chriſtus oravit in Cruce, imitarentur; quem morem etiamnum quidam Ordines retinent. Conſultius autem exiſtimavit Eccleſia, ad eum modum, quo nunc utimur, Collectas recitari, ne, veteri retenta conſuetudine, in re tam gravi riſus excitaretur.

Cur Sacerdos a cornu Epiſtolæ ad cornu Evangelii tranſit?

R. Quia cum *Offertorii* tempore Fideles, ut infra docebimus, oblationes ad Altare ſoliti eſſent deferre, non poterat Sacerdos eas oblationes commode accipere, & legere Evangelium, niſi Miſſale a cornu Epiſtolæ amotum ad alterum aſportaretur. Poſt Communionem vero, quod Subdiaconus in Miſsis ſolemnibus (unde ritus hic in privatas eſt derivatus) cornu Evangelii occupet tergendo Calicem & componendo, ad cornu Epiſtolæ Miſſale referri neceſsitas cogit. Et quia Miſſa Evangelio clauditur, rurſus Miſſale eo redit, ubi primum Evangelium recitatum eſt.

Cur aliquando dicitur, Initium S. Evangelii, *aliquando* Sequentia?

R. Dicitur *Initium*, ſi principium legatur alicujus Evangeliſtæ; *Sequentia* vero, ſi poſt principium. Porro ad hæc verba reſpondetur, *Gloria tibi, Domine*, & in

& in fine, *Laus tibi, Chriſte* : quæ formulæ prætermittuntur Feria ſexta majoris hebdomadæ, quod Chriſtus eo die opprobriis repræſentetur obnoxius.

Quid cornu Epiſtolæ & Evangelii deſignatur?

R. Cornu Epiſtolæ populum Hebræorum repræſentat, qui primi ad Evangelium vocati ſunt. Cornu Evangelii Ethnicos homines ſignificat, qui Evangelium a Judæis rejectum acceperunt.

Quid reditu ad cornu Epiſtolæ exprimitur?

R. Futura Hebræorum converſio.

CAPUT IX.

De Evangelio.

Cur Sacerdos recitat orationem Munda cor meum *ante Evangelium?*

R. UT Evangelio legendo ſe paret.

Cur Sacerdos ante Evangelium ait Jube, Domine, *Diaconus autem* Jube, Domne.

R. Quia vox *Domini* proprie Deo conve-

venit, *Domni* hominibus, juxta illud:

Cœleſtem Dominum, *terreſtrem dicito* Domnum.

Porro Sacerdos Deum appellat, Diaconus Sacerdotem.

Cur Evangelii legendi munus a Lectoribus ad Diaconos eſt tranſlatum?

R. Ut major Evangelio honor habeatur. Græci vero veterem adhuc morem ſequuntur.

Quando Evangelium in Miſſa legi cœptum eſt?

R. In ipſis Eccleſiæ primordiis ex traditione Apoſtolica. Poſt Evangelium nunc dicitur a Miniſtro *Laus tibi, Chriſte*: Olim *Deo gratias* dicebatur.

Cur Sacerdos librum & ſe ipſum Crucis ſigno ſignat?

R. Librum ſignat Sacerdos, quaſi dicat: Hic Crucifixi liber eſt; ſe ipſum in fronte, ut oſtendat, ſe in Cruce Domini noſtri J. C. quodammodo gloriari; in pectore & in ore, quia *corde creditur ad juſtitiam*, ut ait Apoſtolus ad Romanos cap. 10. *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

Cur populus ſtans audit Evangelium?

R. Ut ſignificet paratum eſſe ſe ad ea Domini perficienda mandata, quæ leguntur in Evangelio. Olim qui baculum haberet, cum legeretur Evangelium, illum ſeponebat, honoris ſignificandi gratia. At Religioſi Ordinum Equeſtrium intereadum vel manum gladio admovent, vel etiam illum e vagina educunt, ut pro Chriſti fide ipſum effundere ſanguinem ſe paratos eſſe declarent.

Cur Sacerdos oſculatur Evangelium, poſtquam illud legerit?

R. Propter reverentiam eorum, quæ lecta ſunt.

Semperne oſculatur?

R. Neque in Miſſis mortuorum, neque coram Papa, aut Cardinali, aut Sedis Apoſtolicæ Legatis, quocumque demum in loco ſint; aut Patriarchis, aut Archiepiſcopis, aut Epiſcopis in ſua Diœceſi, Sacerdos Evangelium oſculatur. His enim illud oſculandum defertur.

Prin-

Principibus ſecularibus poteſtne Evangelium oſculandum deferri?

R. Non ſolum illis, ſed & Clero univerſo, & cuivis e populo olim oſculandum Evangelium deferebatur. Sed ſub excommunicationis pœna vetuit Honorius III., ne cuipiam amplius deferatur, niſi ſacro oleo inunctus fuerit.

Quomodo intelligenda ſunt verba illa, Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta?

R. Per hæc verba petimus, non ut gravia delicta, ſed levia tantum & venia non indigna nobis condonentur.

Mos ſermonem habendi ad populum poſt Evangelium unde derivatus eſt?

R. Poſt Evangelii lectionem diebus Dominicis ac Feſtis verba fieri ad populum ſolent; idque ab Hebræis derivatum eſt, apud quos in more poſitum erat, ut poſt lectionem legis & Prophetarum ſermo haberetur ad populum. Porro, ſermone habito, Catechumeni, Energumeni, & publici Pœnitentes dimittebantur.

Omneſne Pœnitentes publici dimittebantur?

R. Non ſane omnes. Quadruplicis enim generis erant. Alii *Flentes*, alii *Audientes*, alii *Conſiſtentes*, alii *Proſtrati* dicebantur. *Flentes* ſtabant extra templi januam, ubi ſua peccata deflebant. *Audientes* & *Proſtrati* in ea templi parte, quæ *Narthex* appellabatur, ubi etiam Catechumeni morabantur; atque hi omnes, ſermone habito, extra templum abire jubebantur. *Conſiſtentes* vero una cum ceteris Fidelibus Miſſæ aderant uſque ad finem; non tamen Euchariſtiæ participes erant. Pars illa prior dicebatur *Miſſa Catechumenorum*, altera *Miſſa Fidelium*, interdum etiam *Miſſa Sacramentorum*. Poſterior hæc primis temporibus celebrabatur clauſis januis, vigilantibus ad eas Miniſtris, ne quis profanus ingrederetur.

CAPUT X.

De Symbolo.

Quid Symbolum *ſignificat?*

R. SYmbolum, vox Græca, ſignum quoddam, ſeu teſſeram ſignificat, qua Fideles ab infidelibus ſecernuntur, ducta ſimili-

militudine ex militari ſigno, quo milites a transfugis diſtinguebantur.

Quot ſunt Symbola?

R. Quatuor. *Apoſtolicum* ab Apoſtolis conditum: *Nicænum* in Concilio Nicæno compoſitum anno 325. *Conſtantinopolitanum* in Conſtantinopolitano Concilio editum anno 381. *Athanaſianum*, quod S. Athanaſio tribuitur.

Literiſne, an voce Symbolum Apoſtoli prodiderunt?

R. Voce dumtaxat, ne Infidelibus notum eſſet.

Quando literis mandatum eſt?

R. Poſt Conſtantinum Magnum Athanaſius, Baſilius, & Leo iis temporibus, quibus Eccleſia a Judæis & Gentilibus nihil ſibi metuebat, literis Symbolum prodiderunt.

Quis Nicœnum *condidit?*

R. Oſius Epiſcopus Cordubenſis, cujus in eo concilio magna fuit auctoritas, Patrum reliquorum juſſu *Nicænum* Symbolum compoſuit.

Quodnam eſt illud, quod in Miſſa legitur?

R. *Conſtantinopolitanum*, cujus auctor fuiſſe exiſtimatur S. Gregorius Nazianzenus, probante Concilio.

Cur illi potiſſimum in Miſſa locus datus eſt?

R. Quod in eo diſertius & luculentius orthodoxi articuli explicantur, & exortæ uſque ad ea tempora, hoc eſt uſque ad Concilium generale ſecundum, hæreſes ejurantur.

Quando recitari in Miſſa cœptum eſt?

R. In Orientali Eccleſia ab anno uſque 471. Symbolum ſacræ Liturgiæ additum eſt; in Occidentali addi cœpit paullo poſt. Ac Romani quidem recitare Symbolum ſolebant, non cantare: ſeculo autem undecimo Henricus Imperator a Benedicto VIII. impetravit, ut cantaretur.

Cur in Miſſa legitur Symbolum?

R. Rationem affert D. Thomas p.3.q.83. art.4. Quia ſcilicet *in eo populus oſtendit, ſe per fidem Chriſti doctrinæ aſſentiri*.

Quan-

Quando dicitur, & quando omittitur?

R. Habes ex eodem D. Thoma loco citato. *Cantatur autem hoc Symbolum in Feſtis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, ſicut in Feſtis Chriſti, B. Virginis, & Apoſtolorum, qui hanc Fidem fundaverunt, & aliis hujuſmodi.*

Cur ad illa verba, & vitam venturi ſeculi, *ſignat ſe Crucis ſigno Sacerdos?*

R. Ut totius Fidei profeſſio ſigillo Crucis quodammodo obſignetur.

Cur ad illa verba, & incarnatus eſt, *genu flectit?*

R. Ut indicetur, quæ Chriſto, pro nobis homini facto Crucique affixo, debeatur adoratio. Laudunenſes Canonici in choro Miſſæ præſentes non flectunt genua, ſed ſtant, vultu ad Orientem converſo; cum tamen Sacerdos, qui celebrat, ſuper altaris gradus genua flectat, quaſi populum ad genu flectendum, ſecumque Chriſtum Dominum hominem factum adorandum invitet.

CAPUT XI.

De Offertorio.

Quid Offertorii *nomine intelligitur?*

R. Offertorii nomine ea omnia continentur, quæ fiunt a Sacerdote & Miniſtris, quæque recitantur, ab illis verbis, *Dominus vobiſcum*, uſque ad clauſulam ſecretæ orationis, cum Sacerdos elata voce dicit, *per omnia ſecula ſeculorum*.

Unde hac Miſſæ pars Offertorii *nomen traxit?*

R. Ex eo, quod Fideles veteri conſuetudine panem & vinum in ſacrificii uſum offerrent.

Quis auctor fuit canendi antiphonam, qua Offertorium *dicitur?*

R. Incertum, an S. Gregorius Magnus, an S. Cœleſtinus, an S. Eutychianus auctores fuerint. Certe uſque ad ſeculum quartum nihil hoc loco cani, aut recitari conſuevit.

Cur

Cur in prima ex quinque orationibus, quæ Offertorium *ſequuntur, dicitur*, Suſcipe, ſancte Pater, hanc immaculatam hoſtiam, *licet nondum ſit conſecrata?*

R. Hæc verba non ad panem ſunt referenda, ſed ad Corpus Chriſti, quod conſecrationis vi ſpeciem panis eſt ſubiturum: quaſi dicatur, ſuſcipe *immaculatam hoſtiam*, in quam panis hic eſt convertendus.

Quid ſibi vult ſignum illud Crucis, quod fit in fine orationis?

R. Significat Hoſtiam ſuper Crucem poni, ubi Chriſtus æterno Patri ipſe ſe obtulit, ut nos a peccatis redimeret.

Suntne illæ orationes vetuſtæ?

R. Negat Bellarminus Controv. tomo 3. lib. 6. de Sacrificio Miſſæ cap. 7. eas ante quingentos annos legi ſolitas.

Quid de vino & aqua præcipis?

R. *Ut mundiſſime ac ſtudioſe tractentur, & in ipſis nihil vile, nihil non mundatum inveniatur*; verba ſunt Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi ſub Carolo Ma-

gno in Capitulari a Sirmundo tomo 2. operum ſuorum edita.

Quoties aqua in calicem infunditur?

R. Nos ſemel infundimus; Græci bis frigidam ante conſecrationem, cum ea parantur, quæ ad Sacrificium ſunt neceſſaria; calidam, conſecratione facta, ante communionem. Theologi ſecundæ hujus infuſionis rationem myſticam quærentes ajunt, per eam ſignificari, Spiritum Sanctum, qui igni comparatur, in corda hominum mentemque delabi.

Unde habemus ritum aquæ vino infundendæ?

R. Ex Patrum traditione, qui in vino aquæ immixto Euchariſtiæ Sacramentum a Chriſto eſſe inſtitutum prodiderunt.

Eſtne ritus hic ex divino præcepto?

R. Non ex divino, ſed ex eccleſiaſtico præcepto eſt; quod quidem Eccleſiæ præceptum ex ipſius Chriſti facto & exemplo profectum eſt. Ideo aquam vino Chriſtus commiſcuiſſe creditur, ut temperantiæ & ſobrietatis exemplum nobis exhiberet. D. Thomas p. 3. q. 74. art. 7. docet, per eam mixtionem ſigni-

gnificari *populum Chriſto adunatum*, *& aquam, quæ de ejus latere profluxit*. Atque hæc cauſſa eſt, cur Armenis in ſinum Romanæ Eccleſiæ venientibus cum ſolo vino Miſſam celebrare, conceſſum non fuerit.

Cur quidam Cœnobitæ ante Miſſam vinum & aquam in Calicem immittunt?

R. Vel quod ad eas res tempus ante Miſſam putent accommodatius; vel ut plus temporis a commixtione ad conſecrationem decurrat, quo aqua in vinum convertatur, & poſtea cum eo in Sanguinem.

Cur Sacerdos aquæ tantum ſigno Crucis benedicit?

R. Ideo vino non benedicitur, quia Chriſtum exprimit, qui nulla indiget benedictione. Aquæ vero, quæ populum repræſentat, qui in hac vita non eſt ab omni peccato liber, maxime neceſſaria benedictio eſt. Ceterum olim aquæ non benedicebat Sacerdos, ſed in Calicem ad modum Crucis eam infundebat.

Cur aquæ non benedicitur in Miſſis mortuorum?

R. Vel quod neque populo in fine

Miſſæ benedicatur, cum aqua eumdem populum ſignificet, ut diximus; vel quod aqua hoc loco populum Purgatorii innuat, qui gratia & benedictione divina fruitur.

In hac vini & aquæ commixtione quodnam myſterium continetur?

R. Cum per vinum Chriſtus, per aquam populus ſignificetur, populi cum Chriſto conjunctio ea commixtione nobis oſtenditur. Quemadmodum vero aqua vino commixta amplius ſeparari ab eo non poteſt; ita populus a Chriſto non ſeparabitur, dum in fide permanſerit. Hanc explicationem affert D. Cyprianus in epiſtola ad Cæcilium. Alii vero exiſtimant per hanc aquæ & vini commixtionem Incarnationis ſignificari Myſterium, cum humana natura divinæ hypoſtatice conjuncta eſt. Quam explicationem confirmant verba ejus orationis, quæ tunc recitatur. Alii putant, aquam & ſanguinem, quæ e Chriſti latere defluxerunt, intelligi.

Cur Sacerdos in oblatione Calicis dicit Offerimus, *non* Offero, *ut in Hoſtiæ oblatione?*

R. Quod olim juxta Romanum ritum in Miſſa ſolemni Sacerdos ſimul eam orationem recitabat cum Diacono, qui vi-

vinum in Calicem infuderit, & Sanguinem populo olim miniſtrabat.

Quid ſignificant verba, Calicem ſalutaris?

R. Calicem Chriſti; eo nempe modo, quo immaculata Hoſtia dicitur, antequam conſecretur.

Quo ordine Oblata collocat Sacerdos?

R. Olim etiam in Romana Eccleſia mos ille vigebat, qui adhuc in Græca ſervatur, Hoſtiam & Calicem ita collocandi, ut lineam rectam a latere ad latus efficeret. Sed anno 1485. ritus collocandi Hoſtiam recta inter Sacerdotem & Calicem cœpit uſurpari.

Unde deſumta eſt Oratio, In ſpiritu humilitatis &c.?

R. Ex oratione trium puerorum, qui Babylone in ignem conjecti ſunt, Danielis cap. 3.

Oratio Veni, ſanctificator *&c. ad quam divinam Perſonam dirigitur?*

R. Ad Spiritum Sanctum, ut declaretur, quemadmodum Chriſti Corpus Spiritus Sancti opera in virginali B. Mariæ utero formatum fuit, ita per eumdem

dem Spiritum Sanctum confici ſuper altare. Porro non dirigi ad Patrem, apparet ex verbo *Veni*, pro more loquendi, quem tenet Eccleſia. Nam Patrem exorans non dicit *Veni*, ſed *Mitte*.

CAPUT XII.

De manuum Ablutione.

Cur in Sacrificio Miſſæ manus lavat Sacerdos?

R. Duplici da cauſſa: tum quia decet illotis manibus tantum tractare Sacramentum; tum quia manus abluere ſignificat animi labes detergere.

Quando omittitur verſiculus Gloria Patri *in fine pſalmi* Lavabo?

R. Verſiculus hic omittitur in Miſſis mortuorum, & a Dominica Paſsionis uſque ad Sabbathum Sanctum. Ideo autem omittitur, quod index ſit lætitiæ, quæ abeſt ab iis Miſsis, quibus luctuoſæ cœremoniæ continentur.

Cur frequenter in Miſſa manus conjungit, & corpus inclinat Sacerdos?

R. Ut humilitatem ſuam, & Chriſti obedientiam exprimat.

CA-

CAPUT XIII.

De oratione *Suſcipe ſancta Trinitas*, & Secretis.

Oratio, Suſcipe ſancta Trinitas, *cujus eſt antiquitatis*.

R. INcertum eſt, quo tempore, & unde orta ſit; ſed hoc ipſum ejus antiquitatis indicium eſt.

Cur in ea ſit mentio Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti?

R. Ut totum exprimatur Sacrificium Chriſti, quod Paſſione, Reſurrectione, & Aſcenſione continetur.

Cur Eccleſia Romana non plures Incarnationis partes memorat, quod facit Græca?

R. Quia in illis tribus myſteriis, quæ ſunt præcipuæ Sacrificii partes, optime repræſentantur immolatio victimæ & conſumptio.

Cur dicitur, ſancta Trinitas?

R. Quatuor quidem primis Eccleſiæ ſeculis nulla in orationibus de SS. Trinitate mentio fiebat, ne, qui trium Per-

Perſonarum myſterium ignorabant, Chriſtianis Deorum multitudinem exprobrarent. Sed jam ſublatus metus eſt.

Cur dicitur, in honorem B. M. Virginis, &c.

R. Quia quidquid honoris & gloriæ in B. Virginem & Sanctos manavit, id totum vi Sacrificii Chriſti ſunt adepti.

Cur Sacerdos ad populum verſus Fratres *appellat?*

R. Quia Chriſtiani veteres hoc ſe nomine compellabant.

Quis hanc orationem compoſuit?

R. S. Leo I. verborum formam compoſuit: ſententia in Liturgiis SS. Marci & Jacobi reperitur.

Orationes, quæ ſequuntur, cur Secretæ vocantur?

R. Qua ſecreto, id eſt ſubmiſſa voce, dicendæ ſunt. Ita tamen eas pronunciare Sacerdos debet, ut ipſe ſe audiat, quamvis ab aliis non audiatur. In quibuſdam Miſſalibus dicuntur *Orationes ſuper Oblata*.

Cur

Cur poſt Secretas *elata voce dicitur*, per omnia ſecula ſeculorum?

R. Clauſula hæc, quæ pertinet ad ultimam *Secretam*, elata voce recitatur, ut populus reſpondendo *Amen* orationes a Sacerdote dictas confirmet.

CAPUT XIV.

De Præfatione.

Quare dicitur Præfatio?

R. HÆc oratio ideo *Præfatio* dicta eſt, quod ſacro præeat Canoni, ac præparatio quædam ſit ad Sacrificium. *Inlatio* a Mozarabibus, in Sacramentario Gallicano *Conteſtatio* dicitur; quod inferat Sacerdos ex Fidelium verbis, & conteſtetur, vere dignum & juſtum eſſe Deo gratias agere.

Quis fuit Præfationum *auctor*?

R. S. Gelaſius I. auctor fuit ſaltem aliquarum. Sed cum hujuſmodi oratio ante S. Gelaſium in Eccleſiam introducta reperiatur, ſuſpicari poſſumus ejus inſtitutionem vel SS. Apoſtolis, vel Apoſtolicorum temporum Viris eſſe tribuendam.

Cur

Cur in Præfatione *Sacerdos non dicit* Dominus vobiſcum *ad populum converſus ?*

R. Iis, quæ diximus in Capite I. hujus Secundæ Partis, cum de hac formula loqueremur, addi poteſt, in *Præfatione* Sacerdotem ad populum non converti, vel quia cum dixit *Orate, Fratres*, quodammodo populum dimiſerit; vel quia ante *Præfationem* juxta Liturgias SS. Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi *Sanctuarium* claudebatur, & circum altare velum oppandebatur: ideoque nihil in illa ſalutatione opus erat, ut ſe Sacerdos ad populum converteret, quem videre non poterat.

Quot numerantur Præfationes ?

R. Undecim. Prima *de Nativitate Domini*; ſecunda *de Epiphania*; tertia *de Quadrageſima*; quarta *de Cruce*; quinta *de Paſchate*; ſexta *de Aſcenſione*; ſeptima *de Pentecoſte*; octava *de SS. Trinitate*; nona *de SS. Apoſtolis*. Poſt annum 1200. addita eſt *Præfatio communis*, quæ Gelaſio, vel Gregorio Magno tribuitur, & *Præfatio de B. Virgine*. Græci unam tantum habent: plures Ambroſiani & Mozarabes.

Præ-

Præfationum *initium eſtne vetuſtum?*

R. Vetuſtiſſimum. Ea enim verba habentur in Liturgiis SS. Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi, & apud S. Auguſtinum Serm. 217. edit. Benedict.

Hymnus Sanctus, Sanctus &c. *unde ſumtus eſt?*

R. Ex Iſaiæ capite ſexto, & *Benedictus qui venit &c.* ex Matthæi cap. 21. Græci *triumphalem*, nos *Angelicum* hymnum appellamus.

Cur pulſatur campanula ad ea verba, Sanctus, Sanctus &c.

R. Ut adſtantium animi ad devotionem excitentur.

Hymnus hic eſtne idem cum Triſagio,

R. Non eſt idem. Nam *Triſagium* eſt, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, quo Græci quidem quotidie initio Liturgiæ utuntur, Latini vero feria ſexta in *Paraſceve* dumtaxat.

CA-

CAPUT XX.

De Canone Miſſæ.

Quid vox Canon *ſignificat?*

R. CAnon incipit ab iis verbis, *Te igitur*, *clementiſſime Pater*; Græca vox eſt, & regulam ſignificat. Ea autem voce utitur Eccleſia, ut doceat *Canonem* Miſſæ eſſe firmam regulam, juxta quam novi Teſtamenti Sacrificium eſt celebrandum. Ceterum ſancti Patres & alii veteres Scriptores partem hanc modo *Precem*, modo *Textum canonicæ precis*, modo *Orationem*, modo *Actionem* appellant ab agendo, quia in ea Sacra Dominica fiunt: unde lux titulo, *Infra*, ſeu *intra actionem*, orationi *Communicantes* præpoſito.

Quis Canonis *eſt auctor?*

R. Aliis videtur fuiſſe Gelaſius I., aliis Muſæus Maſſilienſis Presbyter, aliis Voconius Epiſcopus Caſtellanenſis in Mauritania, aliis denique S. Clemens Alexandrinus. S. Gregorius ait, *Canonem* a Scholaſtico quodam fuiſſe compoſitum. Sed valde probabile eſt, plures *Canonis* auctores fuiſſe.

Quam

Quam vetuſtus eſt?

R. Seculo quarto eſt antiquior. Imo nonnulli eum Apoſtolicæ traditionis eſſe contendunt. Revera tamen alia in eo ſunt ex Apoſtolica traditione, alia ex ſummorum Pontificum inſtitutione.

Quanam ſunt ex Apoſtolica traditione?

R. Multa Chriſtum, dum inter homines eſſet, feciſſe, quæ in Evangelio fruſtra quæras, & ex Apoſtolica tantum traditione ad nos perveniſſe, pro certo tenere debemus. Hujus generis eſſe Innocentius III. ait, Chriſtum in conſecratione panis *oculos ad cælum ſuſtuliſſe*; item verbum *æterni*, quod additum eſt tamquam attributum *novi teſtamenti* in conſecratione vini; poſtremo *myſterium fidei*, quod adjunctum eſt ad ſignificandam *Tranſubſtantiationem*.

Quanam ſunt ex inſtitutione ſummorum Pontificum?

R. S. Leo addidit, *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam*. S. Gregorius, *dieſque noſtros in tua pace diſponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Idem Gregorius in ſecunda *Canonis* parte nomina Sanctarum *Agathæ, Luciæ,*

Agne-

Agnetis, *Cæciliæ*, & *Anaſtaſiæ* dicitur inſeruiſſe, ut locus aliquis etiam Virginibus eſſet. Poſt S.Gregorium nullus Pontifex aliquid de ſuo *Canoni* addidit, aut immutavit.

Alexander I. nihilne addidit?

R. Huic Pontifici, qui vixit initio ſeculi ſecundi, tribuunt nonnulli orationem, *Unde & memores* &c. Sed perperam Alexandro I. tribuitur commemoratio Paſſionis Chriſti Domini, quam conſtat ex ipſius Chriſti mandato fieri.

CAPUT XVI.

De prima *Canonis* oratione.

Quæ eſt prima Canonis *oratio?*

R. INcipit per ea verba, *Te igitur*, *clementiſſime Pater*; & uſque ad orationem, *Hanc igitur oblationem* pergit. Neque enim *Memento*, & *Communicantes* diverſæ orationes ſunt, ſed pars primæ orationis, ut deducitur ex clauſula, *per eumdem Dominum noſtrum*, quæ ad finem tantum orationis, *Communicantes*, apponitur. Quod facile quilibet ſibi perſuadebit, ſi animadvertet, orationem, *Communicantes*, omni ſenſu carere, niſi eum ſuperioribus conjungatur.

In

In prima hac Canonis *parte pro quibus orat Sacerdos?*

R. Orat pro Eccleſia univerſa, pro Papa, pro Epiſcopo,& in aliquibus locis pro Rege, pro Imperatore, pro iis, pro quibus ſacrificat, quique Sacrificio interſunt.

In Orientali Eccleſia mentio ne fit ſummi Pontificis?

R. Olim fiebat, ſed propter Photii ſchiſma fieri deſiit.

Quo ex tempore in Occidentali Eccleſia fieri ſolet?

R. Hujus origo conſuetudinis latet in ipſa antiquitate.

Cur in eadem oratione Epiſcopi etiam fit mentio?

R. Ut præcepto Apoſtoli ad Hebræos cap. 13. obtemperetur. Ceterum in Orientali Eccleſia Presbyter orat pro Epiſcopo, Epiſcopus pro Archiepiſcopo, Archiepiſcopus pro Patriarcha. In Eccleſia vero Occidentali Sacerdos orat pro Epiſcopo; Epiſcopus & Archiepiſcopus pro ſe ipſo orat dicens, *& me indigno ſervo tuo*; idque faciunt etiam Cardina-

les,

les, licet non ſint Epiſcopi, propter excellentiam dignitatis. Romæ Sacerdotes omittunt, *& Antiſtite noſtro*, quia Pontifex, cujus mentionem faciunt, eſt Urbis Ordinarius. Regularibus vetitum eſt, ne pro Epiſcopo Superiorum ſuum Generalem, & Clero, ne Prælatem nominem ſibi præpoſitum, qui quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, & territorium habeat ſeparatum.

In aliena diœceſi cujus Epiſcopi facienda mentio eſt, Ordinarii, an alieni?

R. Epiſcopi illius diœceſis mentio facienda eſt, in qua Sacerdos Miſſæ ſacrum peragit.

Cur alicubi oratur pro Rege & Imperatore?

R. Ex Apoſtolica traditione. Monet enim D. Paullus 1. ad Timoth. cap. 2. orationes eſſe faciendas pro Regibus, & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt.

Quando orat pro iis, quibus fructum Sacrificii applicat?

R. Ad verba, *Memento, Domine &c.* quæ *Commemoratio pro vivis* dicitur. Orat autem pro illis, pro quibus fit Sacrificium, puta in Parochiali Eccleſia pro Parochiæ ſuæ populo, pro iis, qui elee-

eleemoſynam contulerunt, & pro aliis, pro quibus Sacerdos nominatim orare vult. Cum autem ſubjicit, *& omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt,* orat pro illis, qui Sacrificio interſunt. Porro formula orandi per verbum *Memento* eſt ex ſacris Literis.

Cur hic quoque ait offerimus, *non* offero?

R. Quia Sacerdos hac voce tum ſua, tum populi vota complectitur.

Particula vel *hoc loco quem ſenſum habet?*

R. Hoc loco particula *vel* non disjunctionem, ſed conjunctionem ſignificat.

Cur Miſſa Sacrificium laudis *dicitur?*

R. Quia Deum in eo laudamus, eique gratias agimus pro acceptis beneficiis.

Eſtne ſacrificium laudis tantum?

R. Ex verbis, quæ ſequuntur, apparet, Miſſæ Sacrificium eſſe *ex opere operato* non modo *Latreuticum* & *Eucharisticum*, ſeu Sacrificium laudis & gratiarum actionis, ſed etiam *Propitiatorium*, quo peccata expiantur, & *Impe-*

tratorium, quo ſpiritualia & temporalia bona a Deo obtinentur.

Eademne modo expiantur peccata per hoc Sacrificium, ac per Baptiſmum & Pœnitentiam?

R. Baptizatis & Pœnitentibus, ad culpam quod attinet, remittuntur peccata, habitualis, ſeu ſanctificantis gratiæ acceſſione; ſed per *propitiatorium* Miſſæ Sacrificium peccatoribus pœnitentiæ donum, ſeu peculiaris alicujus gratiæ adminiculum conceditur, quo vel ad pœnitentiam excitantur, vel ad abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ digne & utiliter conſequendam adjuvantur. Pœnam vero, quæ ſequitur peccata jam quoad culpam abolita, ſtatim per Miſſæ Sacrificium remitti, ea tamen menſura, quam Dei miſericordia præſtituerit, vera Theologorum ſententia eſt.

Quotuplex eſt Miſſæ fructus?

R. Triplex. Primus eſt Sacrificio ipſi internus *ex opere operato*, qui ſemper obtinetur ſine imminutione ulla, dummodo nihil obſtet. Secundus oritur ex univerſa Eccleſia, quatenus Sacerdotum miniſterio utitur; & quamvis, quoad eſſentiam nec augeri, nec minui poſſit, poteſt tamen augeri, & minui pro

ma-

majore, vel minore ſanctitate eorum, a quibus conſtatur Eccleſia. Tertius ex ipſo proficiſcitur Sacerdote, & *ex opere operante* vocatur; proindeque ex ipſius meritis aliquid pretii capere poteſt.

Sacerdos gravi culpa adſtrictus detrahitne Sacrificio?

R. Sacerdos gravis culpæ ſibi conſcius nihil de fructu *ex opere operato* detrahit. Sed miſer hic *ex opere operantis* non ſolum nihil impetrat, verum ſe magis ac magis reum facit.

Quid ſignificat vox Communicantes?

R. Significat communionem & conſociationem. Sanctos igitur, qui in cœlo ſunt, cum Fidelibus, qui degunt in terra, pro quibus orat, conjungit Eccleſia. Ut autem Deum his propitium reddat, Sanctorum virtutem, merita, & gloriam commemorat. Verbo dicam, Sanctorum opem hoc loco petimus, quæ tamen ipſa nihil valet, niſi per merita Chriſti.

Quare duodecim Apoſtolis additur D. Paullus?

R. D. Paullum a B. Petro numquam Eccleſia Romana ſejungit; qui, etſi non niſi poſt Chriſti mortem creatus fuit A-

poſtolus, ab ipſo tamen Chriſto hujus Sacrificii inſtitutionem accepit, ut teſtatur ipſe 1. ad Corinth. cap. 11.

Ubinam gentium paſſi ſunt Martyres, qui hic nominantur?

R. Romæ, vel in locis Patriarchatûi Romano proxime ſubjectis. Linus, Cletus, Clemens S. Petro coævi, ſocii & ſucceſſores fuere; Xyſtus & Cornelius duo ſummi Pontifices & Martyres; Cyprianus primus Martyr ex Epiſcopis Carthaginenſibus doctrina & deſiderio mortis oppetendæ in prædicatione Chriſtianæ Fidei maxime illuſtris; Laurentius Romæ Archidiaconus, cujus egregia erga pauperes charitas & nobiliſſimum martyrium omnibus Fidelibus ſemper erunt admiranda; Chryſogonus Romanus ſanguinis claritate illuſtris prope Aquilejam ſub Diocletiano paſſus eſt; Joannes & Paullus fratres Romæ nati, quod Idolis ſacrificare recuſaſſent, circa dimidium quarti ſeculi ſub Juliano Apoſtata necati ſunt; Coſmas & Damianus, alii ab iis, qui ex Aſia, & ex Arabia, Romæ martyrium ſubierunt. Hi medicam & chirurgicam artem nullo accepto pretio, ſed ſolius proximi amore exercentes animas Chriſto lucrifaciebant.

Cum

Cum duo fuerint Xiſti Romani Pontifices & Martyres, uter eorum nominatur in Canone?

R. In controverſia poſitum eſt, uter eorum commemoretur. Alter ſecundo ſeculo ineunte, alter circa dimidium tertii ſeculi floruit.

Interceſſio Sanctorum detrahitne meritis Chriſti?

R. Nihil. Quidquid enim poſſunt Sancti, poſſunt per Chriſtum.

Cur hæc oratio, ut eſt in antiquis Miſſalibus, dicebatur olim Oratio ſuper Diptycha?

R. Quia in ea a Sacerdote in Miſſis privatis, a Diacono & Subdiacono in ſolemnibus recitabantur nomina, quæ in Diptychis ſcripta erant.

Quid erant hæc Diptycha?

R. Aſſeres quidam erant diviſi in partes tres, ita ſibi juncti, ut complicari poſſent. In horum primum quorumdam Sanctorum, & præſertim B. Virginis, Apoſtolorum, & Martyrum; in alterum Fidelium nomina referebantur, qui viverent, & dignitate eminerent, vel

de Eccleſia eſſent optime meriti. Inter eos Romanus Pontifex, Patriarcha, Epiſcopus,& alii ex Clero primi ponebantur; deinde Imperator, Viri principes, Magiſtratus, omniſque Fidelium Cœtus. In tertio Defunctorum nomina, qui in Fidelium communione mortui eſſent, habebantur.

Omniumne offerentium nomina recitabantur?

R. Eorum tantum nomina recitabantur, qui præcipui eſſent & eximii, ne ſacra cœremonia nimis produceretur.

Hac conſuetudo quamdiu viguit?

R. Uſque ad ſeculum undecimum. Poſtea inductus mos eſt, ut Sacerdos mentali oratione Deo commendet, qui antea voce commendabantur.

Cur Hoſtiæ & Calici, ſigno in modum Crucis ducto, ante conſecrationem benedicit Sacerdos?

R. Invocat illis benedictionibus Dei omnipotentiam, ut oblata in Corpus & Sanguinem Chriſti convertat.

Cur hæ benedictiones fiunt ſigno Crucis adhibito?

R. Ut ſemper Redemptoris noſtri Paſſio

ſio animis noſtris obverſetur.

Cur tria Crucis ſigna ducuntur?

R. Ut ſignificetur, maximum hoc Myſterium a ſanctiſſima perfici Trinitate.

Quid illa tria Crucis ſigna ſignificant?

R. Primum primam ſignificat traditionem, qua Chriſtus a Deo Patre mundo traditus eſt. Alterum alteram innuit traditionem, qua Chriſtus ſe ipſe pro nobis tradidit. Tertium traditionem exprimit, qua Judas Magiſtrum ſuum ab omni prorſus peccato purum & integrum in manus inimicorum dedit.

CAPUT XVII.

De ſecunda *Canonis* oratione.

Quid hac ſecunda oratione continetur?

R. SEcunda *Canonis* oratione, quæ incipit ab illis verbis, *Hanc igitur oblationem &c.* quatuor petitiones continentur. Harum prima eſt, ut Deus *oblationem noſtram placatus accipiat*; ſecunda, ut *dies noſtros in ſua pace diſponat*; tertia, ut *ab æterna nos liberet damnatione*; quarta denique, ut *in electorum ſuorum grege nos jubeat numerari*.

Eſtne ſemper eadem.

R. In pervigiliis Paſchatis & Pentecoſtes, ac per totam earum Solemnitatum Octavam quædam adduntur, quæ ad eos, qui per hoſce dies juxta veterem diſciplinam baptizari ſolebant, pertinent.

Verbis illis, hanc oblationem, *oblatio ne facta deſignatur?*

R. Minime; ſed mox facienda.

Quid petimus a Deo bis verbis, & in electorum tuorum jubeas grege numerari?

R. Petimus, non ut Deus propoſitum mutet ſuum, ſed nos ut ad ſe convertat, in via ſalutis confirmet, & ad æternam beatitudinem perducat.

Cur Sacerdos hanc orationem recitans manus tenet ſuper Hoſtiam & Calicem explicatas?

R. Quia in Lege veteri mos erat, manus ſuper victimam imponendi; quod indicium erat, Sacerdotem conjungi cum victima, & cum ea Deo conſecrari.

CA-

CAPUT XVIII.

De tertia *Canonis* oratione.

Tertia oratio unde incipit?

R. INcipit ab illis verbis, *Quam oblationem &c.* & pergit uſque ad finem Conſecrationis.

Quid ſignificant verba; benedictam, adſcriptam, ratam &c.

R. Gravis horum verborum affertur explicatio in Canone *Utrum* de Conſecr. Diſt. 2. ita ut *benedicta* dicatur, per quam nos benedicamur; *adſcripta*, per quam nos omnes in cœlo conſcribamur; *rata*, per quam in viſceribus Chriſti cenſeamur; *rationabilis*, per quam beſtiarum ſenſu exuamur; *acceptabilis* fiat, quatenus & nos per quod in nobis diſplicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio ſimus.

Quare Sacerdos precatur Deum, ut fiat Tranſubſtantiatio, *quæ certo futura eſt?*

R. Primum abſurdum non eſt a Deo petere, quæ certo ſcimus futura, cujus rei exempla multa ſunt in ſacris Literis. Deinde Sacerdos non petit, ut impleatur conſecratio, ſed ut in noſtram utilita-

tem redundet, ut monet D. Thomas.

Quid ſibi volunt quinque Crucis ſigna, quæ in hac oratione fiunt?

R. Quidam putant, ea ſignificare, Chriſtum ſecundum carnem in quinque ſenſibus paſſum eſſe, & quidem in viſu, cum velata illi facies eſt; in auditu, cum eſt irriſus; in guſtu, cum fel & acetum ei propinatum eſt; in odoratu, ex tetro corruptorum corporum odore, cum in Calvario monte Cruci affixus eſt; in tactu, cum ejus transfixi ſunt pedes, & manus. Alii vero ſentiunt, tribus illis, quæ fiunt ſuper Hoſtiam & Calicem, ſignis nefariam illam ſignificari proditionem Judæ, qui Magiſtrum ſuum Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis vendidit; ſemel autem duci Crucis ſignum ſuper Hoſtiam, & ſuper Calicem, vel ad duas naturas ſignificandas, divinam & humanam, quas hypoſtatice Chriſtus in ſe copulavit, vel ut intelligamus, Chriſtum eſſe paſſum anima & corpore.

Conſecrationis verba proferunturne ad narrandum?

R. Bifariam propoſitio aliqua enunciari poteſt, vel narrando, vel affirmando. Primus modus dicitur *Recitativus*, alter *ſignificativus*. Porro verba Conſecra-

erationis *ſignificative* profert Sacerdos, ita ut eamdem vim habeant, atque habuere, cum a Chriſto prolata ſunt. Tamen D. Thomas eo potius inclinat, ut putet, conſecrationis verba utroque modo enunciari, præſertim ſi omnia ſumantur, *recitative*, & *ſignificative*.

Quis eſt ſenſus verborum, Hic eſt Calix Sanguinis mei &c.

R. Explicat D.Thomas in Tertia Parte, quæſt. 78. a. 3.ubi docet, hanc eſſe locutionem figuratam, qua continens ponitur pro contento, ut ſit ſenſus : *Hic eſt Sanguis meus contentus in Calice*.

Cur dicitur, novi & æterni Teſtamenti?

R. Audi eumdem Doctorem docentum: *Dicitur hic ſanguis novi Teſtamenti, quia jam non in figura, ſed in veritate exhibetur; unde ſubditur: qui pro vobis effundetur*. Docet deinde dici Sanguinem æterni Teſtamenti, *tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Sacramentum diſponitur: ipſa etiam perſona Chriſti, cujus ſanguine Teſtamentum diſponitur, eſt æterna*.

Vox multi *in conſecratione quid ſignificat?*

R. Juxta modum loquendi S. Scripturarum ſignificat *omnes*, eodem Angelico Doctore interprete.

Sanguis Chriſti etiamne pro improbis fuſus eſt?

R. Utique *quoad ſufficientiam*, at pro ſolis electis *quoad efficaciam*, ut docet idem Doctor in 4. Sent. diſt. 8. q. 2. a. 2. q. 3. ad 7.

Quænam eſt forma conſecrandi panis?

R. Forma continetur his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, prolatis a Sacerdote cum intentione conficiendi Sacramentum. Intentio enim facit, ut verba hæc quaſi ex perſona Chriſti prolata intelligantur; ac propterea ad formam conſecrationis ejuſque validitatem ſatis ſunt, etiamſi præcedentia non recitentur.

Quænam eſt forma conſecrandi Calicis?

R. Communis ſententia eſt, Calicis conſecrationem in illis verbis conſiſtere: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Sed D. Thomas uſque ad illa verba, *Hoc quotieſ-*

tieſcumque feceritis &c. eam producit. Hanc tamen D. Thomæ ſententiam ita accipiunt plures Viri docti, ut eum de integritate, non de eſſentia conſecrationis locutum putent. Magnum autem ajunt intereſſe diſcrimen inter integritatem & eſſentiam.

Quid peculiare in conſecratione Græci habent?

R. Græci, poſtquam verba conſecrationis pronunciarunt, orant Deum, ut panem in Chriſti Corpus convertat.

Annon credunt, Tranſubſtantiationem *vi verborum factam eſſe?*

R. Hac de re in Concilio Florentino conſulti reſponderunt, ſe utique credere, *Tranſubſtantiationem* vi verborum factam; ſed ſe (apud quos novum non eſt rem conceſſam petere, quaſi conceſſa non eſſet, ut in adminiſtratione Baptiſmi) non alia de cauſſa orare Spiritum Sanctum, niſi ut Corpus & Sanguinem Chriſti ad ſuorum remiſſionem peccatorum conferre, dignetur concedere. Quam ob declarationem Eugenius IV. Græcos appellare non dubitavit *Fratres in Fide ſecum conjunctos*. Syri etiam in eamdem explicationem conſentiunt.

Aqua,

qua, quæ infunditur, convertiturne in Sanguinem Chriſti?

R. Sunt qui putant, vinum in Sanguinem, aquam vero in aquam converti, quæ de latere Chriſti defluxit, quæ pia magis, quam Theologica opinio eſt. Alii exiſtimant, aquam vino junctam per ſe manere veluti circumfuſam ſpeciebus vini. Hæc vix probabilis eſt. Quamobrem non recedendum ab Innocentio III. qui in cap. *Martha* de celebr. Miſſ. ait, probabilius eſſe, aquam in Sanguinem converti. An vero prius in vinum, deinde in Sanguinem convertatur, diſputant Scholaſtici.

Cur poſt conſecrationem genu flexo adorat Sacramentum Sacerdos?

R. Quia eſt Catholicæ Fidei dogma, externo latriæ cultu Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento adorandum eſſe. Fuit olim diſciplina, ut Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui Miſſæ ſummi Pontificis miniſtrabant, & Presbyteri, qui erant in Presbyterio, toto *Canonis* tempore manerent inclinati, & Diaconi ad ea verba, *Nobis quoque peccatoribus*, ſurgerent.

Qui

Quinam eſt Græcorum ritus in Euchariſtiæ elevatione?

R. Græci, Armeni, & Abiſſini Hoſtiam & Calicem non ſtatim poſt conſecrationem, ſed paullo ante communionem elevare conſuerunt, ut populum ad Sacramentum adorandum excitarent; qui ſane mos eſt antiquiſſimus.

Quando fieri cœpit elevatio Hoſtiæ?

R. In Gallia circa dimidium ſeculi undecimi. Incompertum autem eſt, an paullo poſt Romana Eccleſia amplexa ſit ejuſmodi diſciplinam. Alii autem ad ſeculi decimi ſecundi initium eam tranſferunt, putantque introductam poſt vetuſtam conſuetudinem elevandi Hoſtiam ad ea verba, *Omnis honor & gloria*, qua de elevatione ſuo loco ſumus locuturi.

Cur ſtatim poſt conſecrationem introducta eſt?

R. Ut ſignum Catholicæ Fidei adverſus Berengarii hæreſim ederetur, qui realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam negavit.

Calix tectuſne, an apertus eſt elevandus?

R. Putant hac de re ſententiam ferri non

non poſſe nonnulli, niſi prius diſpiciatur, num Chriſtus nudus omnino affixus Cruci ſit, an velo, ſaltem aliqua ex parte, coopertus. Verum, utcumque res ſit, certum eſt, morem elevandi Calicem pallæ uſu vetuſtiorem eſſe; & nunc quidem ex Miſſalis præcepto apertum elevari debere.

Ritus elevandi Calicis fuitne ab initio communis omnibus Eccleſiis?

R. Eccleſiæ aliquæ, inter quas Romana, Hoſtiam tantum initio elevare conſueverunt. Et vero apud Ordines quoſdam nullum elevandi Calicis præceptum eſt: imo in quibuſdam Eccleſiis, ut apud Carthuſianos, Hoſtia tantummodo elevatur; quod D. Bonaventuræ temporibus in more poſitum fuiſſe, ex ipſo apparet.

Quando, & quare mos invectus eſt pulſandi campanulam ad elevationem Sacramenti?

R. Quando ipſius Sacramenti elevandi inducta eſt conſuetudo. Ea autem de cauſſa inducta eſt, ut mentes Fidelium ad orandum excitentur.

Quid agitur a Fidelibus, dum Sacramentum elevatur?

R. Siletur, & Chriſtus tacite adoratur.

tur. In quibuſdam Galliæ Eccleſiis cum elevatur Hoſtia, populus canit, *O ſalutaris Hoſtia*; quem morem induci voluit ab ejus Regni Epiſcopis Ludovicus XII. ad Dei opem implorandam in bellis, quibus Princeps ille premebatur.

CAPUT XIX.

De quarta *Canonis* oratione.

Quare tertia Oratio deſinit in illa verba Hæc quotieſcumque feceritis &c.

R. Ut declaretur, neminem futurum tanta audacia fuiſſe, qui ad altare Domini accederet, & auguſtiſsimum celebraret Myſterium, niſi Chriſtus id juſſiſſet, ut advertit Gaudentius Tract. 2. de Paſchate. Quamobrem appoſite ſequitur quarta *Canonis* oratio, quæ incipit, *Unde & memores*.

Quid hac oratione Deo Sacerdos offert?

R. Paſsione, Reſurrectione, & Aſcenſione iterum, ut in oratione, *Suſcipe, ſancta Trinitas*, commemoratis, etiam nomine populi æterno Deo Patri Corpus ejus Filii & Sanguinem offert, Hoſtiam ſcilicet puram, ſanctam, & immaculatam *de ejus donis ac datis*, propter panis & vini in Corpus & Sanguinem *Tranſubſtantiationem*. Eo-

Eodemne modo etiam Græci offerebant ?

R. Hanc eamdem oblationem his verbis Græci faciebant, *tua ex tuis* : eoque pacto hujus oblationis naturam explicabant, in qua oblatione ſubſtantia Deo offertur, Corpus nimirum & Sanguis Chriſti, facta ex alia ſubſtantia, ſcilicet pane & vino, ut animadvertit Boſſuetus Tract. Miſſæ cap. 12.

Quouſque producitur hæc oratio ?

R. Uſque ad *Memento* : nam ante hanc orationem ponitur clauſula *per Chriſtum &c.*

Hæc oratio unde ſumta ?

R. Antiquiſsima eſt. Extat enim apud S. Ambroſium lib.4.de Sacram. cap.6. eaque verba, *Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*, ſunt iis ſimilia, quæ habentur in epiſtola ad Romanos cap. 12. *Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium.*

Eſtne ſimilis in omnibus Miſſalibus ?

R. In aliquibus legitur, *Unde & memores ſumus* : quæ vox *ſumus* abeſt ab eo Ambroſii loco, quem modo attulimus.

mus. In Sacramentariis, Gelaſiano & Ambroſiano, & in Carthuſianorum, & Dominicanorum, & Carmelitarum Miſſalibus inter voces *Domini* & *noſtri* vox *Dei* interjicitur.

Poſtrema hęc varia lectio eſtne admittenda?

R. Cum diu multumque ſit, ex quo ea vox abeſt a Miſſali etiam recognito, & ſummorum Pontificum auctoritate emendato, concludi poſſe videtur, eam vocem, licet optimam, ei, qui Ritum ſequatur Romanum, omittendam; iis autem dicendam, qui peculiaribus utuntur Ritibus, quos Romana Eccleſia non improbat.

Quare pura, ſancta, & immaculata *Hoſtia dicitur.*

R. Explicat hæc verba egregie Sotus in 4. Sent. diſt. 13. q. 2. a. 5. aitque ſignificare differentiam inter Sacrificium noſtrum, & oblationes veteris Legis, videlicet quod Hoſtia hæc noſtra ſit *pura & purificans, ſancta & ſanctificans, immaculata & maculas tergens. Quod vero demum adjungitur; Panem vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ definitio & explicatio eſt ejuſdem Hoſtiæ:*

Qui

Quinam brachiorum ſtatus eſſe debet, hac oratio cum dicitur?

R. Carthuſiani, Dominicani, & Carmelitæ, ut Paſſionem Chriſti ſignificent, brachia ad modum Crucis protenta tenent, quarumdam Galliæ Eccleſiarum morem, qui ſeculo decimo ſecundo viguit, ſecuti. Nos ante pectus manus expanſas tenemus, quod oratione ipſa Paſſionem Chriſti ſatis ſignificari arbitremur.

Crucis ſigna ſuper Hoſtiam & Calicem ducta poſt conſecrationem, ſuntne benedictiones?

R. Non ſane benedictiones ſunt, ſed commemorationes virtutis & efficaciæ Sacramenti, quæ virtus oritur e Sacrificio Crucis, quod in Miſſæ Sacrificio repræſentatur & continuatur. Adhibetur autem ſignum Crucis, quoties Corpus & Sanguinem Domini pronunciamus, ut declaretur. Hoſtiam, & id quod continetur in Calice, idem eſſe Corpus, quod Cruci fuit affixum, & ipſum Sanguinem, qui in Cruce effuſus eſt.

Quare quinque ſigna ducuntur?

R. Quod quinque fuerint Chriſti vulnera, ut D. Thomas, eumque ſecuti Theo-

Theologi alii affirmant.

Cur Sacerdos pollicem & indicem a conſe-cratione ad ablutionem conjunctos tenet?

R. Ne, ſiqua Hoſtiæ particula digitis adhæſerit, diſpergatur, ut idem S.Doctor docet.

Quid petit a Deo Sacerdos in illa orationis parte, Supra quæ propitio &c.

R. Etſi oblatio hæc Deo non placere nullo modo poſſit, ſive rem quæ offertur, ſive Offerentem præcipuum, qui quidem Chriſtus eſt, ſpectemus; tamen, cum fieri poſsit, ut ea, habita Sacerdotis, vel populi ratione, minus placeat, ideo Sacerdos Deum orat, ut *propitio ac ſereno vultu* oblata reſpiciat.

Quid obtulit Deo Abel, quid Abraham, quid Melchiſedech, quorum fit in oratione mentio?

R. Deo Abel obtulit *primogenita gregis ſui*, ut eſt in capite Geneſ. 4. Abraham Iſaacum filium ſuum, ut Dei mandato pareret, mactare paratus erat, niſi Angelus prohibuiſſet, ut eſt in cap. 22. Denique Melchiſedech *panem & vinum Deo obtulit in ſacrificium*, ut eſt in cap. 4. Quæ oblationes cum Deo fuerint acceptiſsimæ, orat Sacerdos, ut eodem pla-

ne:

ne modo præſentem oblationem & ſacrificium accipiat.

Ante legem ſcriptam fuere ne Sacrificia?

R. Affirmat S. Thomas in Secunda Secundæ quæſt 85.art.1.homines ante legem ſcriptam ſenſibilibus quibuſdam rebus uti ſolitos,quas Deo offerrent,honoris & obedientiæ cauſſa, quamvis nihil horum certum eſſet.

Quot fuerunt Sacrificia in lege veteri?

R. Tria in lege veteri Sacrificiorum genera fuerant.Alia dicebantur *holocauſta*, alia *pacifica*, alia *propitiatoria*, ſeu, ut Scriptura loquitur,*pro peccato*. Ex Levit. cap.1.& ſeq. & ex D.Thoma in prima ſecundæ, quæſt. 102. artic. 3.

Sacrificia legis Moſaicæ quomodo fiebant?

R. Animal, quod mundum eſſet, ut ovis, bos, capella, hœdus, vitulus, columba, cædebatur, ejuſque ſanguis effundebatur ad Deum placandum, eique debitum honorem tribuendum. Ex Levit. cap. 1. num. 2. 10. 14. Res inanimæ etiam offerebantur, ut ſpicæ, panis, ſecale, vinum, ſal, & incenſum, ut eſt in

Le-

Levit.cap.2.Quæ omnia Sacrificium,quod peragendum erat in Calvario, & Sanguinem, qui, ut genus humanum redimeretur, in Cruce erat effundendus, non obſcure adumbrabant. Nam res inanimæ ea ſaltem ex parte Chriſti mortem repræſentabant, qua ipſæ deſtruebantur.

Hoc Sacrificiorum genus unde ſumtum eſt?

R. Non a Gentibus, ut novitatis amatores contendunt, manavit, ſed a Deo ipſo mos mactandorum animalium præſcriptus eſt. Siquidem ante Ægyptios, qui Gentium omnium antiquiſſimi feruntur, Abel, Noe, Abraham, Melchiſedech, & Job hujuſmodi Sacrificia Deo obtulerunt. Imo hunc ipſum ſacrificandi ritum Gentes ridiculis ſuperſtitionibus corruperunt.

Verba illa, Sanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam, *referendane ſunt ad Miſſæ Sacrificium, an ad Sacrificium Melchiſedechi?*

R. Magna eſt hac de re inter Doctores alios aliud aſſerentes contentio. Nos,ſive ad hoc, ſive ad illud referas, recte habere dicimus. Quamquam, ſi ipſius Miſſæ naturam attendimus, non eſt cur alio referantur.

Quis fuit Melchiſedech?

R. Melchiſedech fuit gente Chananæus, Hieroſolymæ Rex & Sacerdos. Quare non ſolum Chriſtum, ſed Chriſtum Sacerdotem repræſentavit. Ex Apoſt. epiſt. ad Hebræos, cap. 7.

Cur Chriſtus dicitur Sacerdos non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech?

R. Aaronis Sacrificia cruenta fuere; Melchiſedechi incruentum: Aaronis Sacerdotium ad plures ſibi invicem ſuccedentes delatum fuit; Melchiſedecho nemo ſucceſsit. Cum igitur & Sacrificium & Sacerdotium Chriſti ſimile potius fuerit Sacrificio & Sacerdotio Melchiſedechi, jure dicitur Chriſtus non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos fuiſſe.

Quænam eſt poſtremorum verborum hujus orationis ſententia?

R. Florus in Canonem Miſſæ, & Innocentius III. lib. 5. Myſter. Miſſæ cap. 6. poſtrema hujus orationis verba ſupra captum humanum poſita eſſe fatentur. Ea tamen Pontifex ita interpretatur, ut velit Sacerdos, vota Fidelium & preces miniſterio Angelorum in conſpectum di-

vinæ

vinæ Majeſtatis perferri, ut eorumdem Angelorum interceſſione ſint acceptæ. Quam interpretationem Innocentii cum Theologis omnibus amplectitur D. Thomas in p.3.q.83. art.4.

Cur ad hæc verba inclinatur, & junctas manus tenet Sacerdos?

R. Ut orationis ſententiam etiam actu externo exprimat. Porro mos hic in iſta Miſſæ parte eſt vetuſtiſſimus, cum ejus Amalarius & Micrologus meminerint. In pluribus Galliæ & Germaniæ Eccleſiis Sacerdos olim manus in Crucem decuſſatas tenebat. Hunc morem adhuc retinent Carthuſiani, Dominicani, & Carmelitæ.

Cur ſuper Hoſtiam, & Calicem, & ſe ipſum Crucis ſignum ducit Sacerdos?

R. Innocentius III. lib. 5. cap. 5. Myſter. Miſſæ ait, duci Crucis ſignum ſuper Corpus *propter ſudorem corporis*, quo Chriſtus in ſua Paſſione maduit; ſuper Calicem *propter guttas ſanguinis*, quem in Paſſione fudit; denique ſupra Sacerdotem, quia Chriſtus *procidit in faciem ſuam*. Addit aliam idem Pontifex hujus myſterii explanationem; duo videlicet priora Crucis ſigna vincula & flagella Chriſti ſignificare; ſignum vero quod ſupra ſe ipſum Sacerdos ducit, ſa-

tellites innuere, qui Chriſti faciem conſpuebant. D. autem Thomas P. 3. q. 83. ar. 5. putat, extenſionem corporis & effuſionem ſanguinis, & fructum Paſſionis per trina illa ſigna intelligi.

CAPUT XX.

De quinta *Canonis* oratione:

Quid hac oratio continet?

R. QUinta oratio eſt pro Defunctis, pro quibus nulla eſt Liturgia in qua non oretur. Hanc autem pro Defunctis orandi conſuetudinem ab Apoſtolis accepimus; quod Sancti Patres omnes aperte confirmant. Hæc oratio in vetuſtis monumentis appellatur *Super Diptycha*, quia etiam defunctorum, ut vivorum nomina in Diptychis, de quibus diximus, ſcripta recitabantur. Porro in hac oratione cum Epiſcopi, qui Eccleſiam rexerant, tum illi etiam commemorabantur, qui aliis Diœceſibus præfuiſſent, ſi eos in Catholica Fide & communione deceſſiſſe conſtaret. Si in hæreſi, vel ſchiſmate mortui eſſent, ex ſacris Diptychis expungebantur.

Quam-

Quamdiu propalam recitandi defunctorum nomina & Epiſcoporum viguit diſciplina?

R. Viguit uſque ad ſeculum decimum ſecundum. Poſtea obſolevit. Sed rurſus ſeculo ſexto decimo revocata fuit a Cardinali Antonio de Crequy Epiſcopo Ambianenſi, qui teſtamento ſuo anno 1574. juſſit, ut in Conventuali illius Eccleſiæ Miſſa, cum Sacerdos ad *Memento* defunctorum pervenerit, Diaconus alta voce Sacerdotem moneat, orandum illi eſſe pro animabus Joannis & Antonii de Crequy. In Eccleſia etiam Pariſienſi aliqua hujus diſciplinæ apparent veſtigia. Senior enim inter Clericos Chori ad Sacerdotis dexteram accedens monet, ut oret pro anima Cardinalis de Gondy, qui ejus fuit Eccleſiæ Epiſcopus.

Pro quibus defunctis orat Sacerdos?

R. Primum pro iis, pro quibus ſpecialem agere memoriam debet; deinde pro iis omnibus, qui in Purgatorio detinentur ad expiationem; quod ſignificat per verba illa, *omnibus in Chriſto quieſcentibus*. Poſtulat autem iis *locum refrigerii*, ut ſcilicet igne, quo cremantur, liberentur; *locum lucis*, ut e tenebris eruantur, in quibus verſantur; *locum pacis*,

cis, ut ab anxietate illa, qua confliɛtantur, tandem reſpirent.

Tenemurne orare pro defunctis?

R. Tenemur ex charitate, aliquando etiam ex juſtitia; modo damnati non ſint, pro quibus nulla eſt oratio, nullumque Sacrificium ſatisfactorium.

Siquis forte oret pro damnato, ad quem ſpectat fructus ſacrificii?

R. Deus illius Sacrificii beneficium tribuit iis, quibus pro ſua miſericordia conſuli vult. Non debemus autem unquam a Sacrificio abſtinere, etiamſi iis, pro quibus illud facimus, non ſit profuturum. *Melius enim ſupererunt iſta iis, quibus nec obſunt, nec proſunt, quam eis deerunt, quibus proſunt*: ut egregie ait Auguſtinus in Enchiridio cap. 108.

CAPUT XXI.

De ſexta *Canonis* oratione, quæ incipit: *Nobis quoque peccatoribus*.

Quid hac poſtrema Canonis *oratione petit a Deo Sacerdos?*

R. HAc oratione, quæ *Canonem* claudit, petit a Deo Sacerdos, ut ſe & populum adſtantem, cujus nomine of-

offert Sacrificium, in Sanctorum omnium, quorum plures nominatim invocat, ſocietatem velit admittere. Porro cum dicitur, *Non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor*, vox *meriti* videtur interpretanda pro demerito & peccato.

Cur in hac oratione rurſus nominatur Joannes?

R. Innocentius III. lib. 5. cap. 8. ait, Joannem in parte, quæ conſecrationi præcedit, propter Apoſtolatus dignitatem, in hac propter Virginitatis privilegium nominari. Sed vero ſimilius videtur, Joannem, qui hic nominatur, non Evangeliſtam eſſe, ſed Baptiſtam.

Cur Stephanus nominatur ante Matthiam?

R. Quia Stephanus ante Matthiam paſſus eſt. Eccleſia enim non ad dignitatem, ſed ad Martyrii ordinem reſpicit.

Cur Matthias in priore oratione omittitur?

R. Quia Paſſionis tempore Matthias ad Apoſtolatus dignitatem evectus nondum erat; nec ſane in Evangeliis inter Apoſtolos ejus nomen apparet.

Cur Paullus nominatur, quamvis Paſſionis tempore nondum eſſet Apoſtolus?

R. Ideo D. Paullus nominatur, quamvis nec Apoſtolus tum eſſet, nec inter Apoſtolos in Evangeliis recenſeatur, ne a B. Petro ſejungeretur.

Quis eſt Petrus, cujus hic ſit mentio?

R. S. Petrus Exorciſta. Ea autem ratio in hanc nos ſententiam inducit, quod ſtatim poſt S. Marcellinum nominatur. Conſtat enim Marcellinum Presbyterum, & Petrum Exorciſtam poſt diutinos cruciatus conjunctim ſub Diocletiano necatos martyrii palmam eſſe conſecutos in ea, quæ tum *Silva Nigra*, deinde in eorum Sanctorum honorem *Silva Candida* eſt appellata.

Sancti qui hic nominantur, ſunt ne omnes unius Ordinis?

R. Minime. Ex Diaconis Stephanus eſt; Matthias ex Apoſtolis; Barnabas e Diſcipulis; ex ordine Epiſcoporum Ignatius; ſummorum Pontificum Alexander I. Presbyterorum Marcellinus; e minorum ordinum Clericis Petrus; e nuptis Felicitas & Perpetua; Agatha, Lucia, Agnes,

Agnes, Cæcilia, Anaſtaſia ex Virginibus. Additi ſunt in quibuſdam Eccleſiis Hilarius, & Martinus; in aliis Auguſtinus; in aliis Juliana & Euphemia. Sed in *Canone* nonniſi Martyribus locus eſt.

Cur tum ante, tum poſt conſecrationem ſit commemoratio Sanctorum?

R. Ante conſecrationem fit Sanctorum commemoratio,ut eorum obtineamus ſuffragia,eorum communionem conſequamur virtutes denique adipiſcamur, & gratias, quas nobis ex ſancto Sacrificio poſſumus polliceri.Fit vero etiam poſt conſecrationem,quia Deum oramus,ut in Sanctorum cœtum nos velit adſcribere.Ac propterea prima commemoratio non inepte dicitur *ad ſuffragium*, ſecunda *ad conſortium*.

Quid poſteà fieri conſuevit antiquis temporibus?

R. S. Eutychianus auctor fuit conſuetudinis novis fructibus, leguminibus,melli, carnibus benedicendi ad altare. Hæc autem benedictio fiebat poſt illa orationis verba, *largitor admitte*. Hujus conſuetudinis monumenta legere eſt apud Martene tom. 4. Licet autem hoc novis fructibus benedicendi munus Lectori imponat in Ordinatione Epiſcopus, ſolus

tamen hoc tempore poſt Miſſam illud Sacerdos obit.

Verba illa , per quem hæc , Domine *&c. ad novas ne fruges, an ad Euchariſtiam referebantur ?*

R. Alii ea verba ad Euchariſtiam ſimul & novas fruges referri exiſtimant ; alii ad novas fruges tantum . Sed hoc quidam refellunt ratione ea , quod Eccleſiæ aliquæ novis frugibus benedicerent ante conſecrationem , idque peculiari oratione adhibita . Præterquamquod cum exploratum ſit , non in qualibet Miſſæ novarum frugum benedictionem fieri potuiſſe, in omni autem Miſſa dici conſueviſſe , *Per quem hæc omnia* &c. cum item noſtris hiſce temporibus nulla frugum benedictio fiat , neque tamen ea ipſa verba omittamus , hinc proclive eſt intelligere , explicanda eſſe , nulla frugum habita ratione .

Quid ea verba ſignificant ?

R. Dicitur , *per quem hæc omnia bona creas* ; quia Deus Pater omnia creavit per Jeſum Chriſtum . *Sanctificas* ; quod in Chriſto dona ad altare oblata fiunt dona ſacra , & ab uſu communi ſemota . *Vivificas* ; quia Deus per Chriſtum panem & vinum vivificat convertens in verum illius Corpus & Sanguinem . *Et*

pra-

præſtas nobis; quia Deus per Chriſtum ea ſanctificata, vivificata, & benedicta nobis largitur. *Per ipſum*; quod Chriſtus verus Homo, veruſque Deus eſt Dei & hominum conciliator. *Et cum ipſo*, quia Deus eſt Deo æqualis. *Et in ipſo*; quia Patri eſt conſubſtantialis. *Eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria*; quia Deo Patri omnis honor & gloria eſt per Filium, & cum Filio, & in Filio, & cum Spiritu Sancto.

Quid Crucis ſigna ſuper his verbis ducta ſignificant?

R. Quæ ſuper verbis, *ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis*, Crucis ſigna ducuntur, tres illas orationes, quas Chriſtus Cruci affixus pronunciavit, ſignificant; videlicet, *Pater, ignoſce illis: Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Altera quæ fiunt, cum illa verba proferuntur, *per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo*, tres horas, quibus a ſexta ad nonam Chriſtus in Cruce pependit, innuunt. Poſtrema, quæ extra Calicem ducuntur, animæ ſeparationem a corpore deſignant. Hæc ex D. Thoma P. 3. q. 83. art. 5. Eſt etiam alia eorum ſignorum, cum dicitur, *per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo*, interpretatio; iis nimirum nos doceri, Chri-

 ſtum

ſtum in corpore, in anima, & in honore paſſum eſſe. Eorum vero ſignorum, quæ inter ſe & Calicem ducit Sacerdos, alia itidem eſt explicatio, ut ſcilicet ex iis intelligamus, propter conjunctionem hypoſtaticam humanæ naturæ cum perſona Verbi Deum quidem paſſum eſſe, minime tamen Patrem & Spiritum Sanctum. Idcirco enim extra Calicem ſigna ducuntur, cum Pater nominatur, & Spiritus Sanctus.

Elevatio Hoſtia & Calicis ad illa verba, omnis honor & gloria, *quanta eſſe debet?*

R. Ad hæc verba Hoſtia & Calix non plus, quam quatuor tolli debet digitos; proindeque *parva elevatio* dicta eſt, poſtquam major illa poſt conſecrationem in uſu eſſe cœpit. Ante illam enim in hac elevatione Corpus & Sanguis Chriſti populo oſtendebatur. In quibuſdam Eccleſiis ad hanc elevationem pulſatur campanula; in aliquibus, ſi Miſſa ſolemnis ſit, Sacramentum thure adoratur.

Cur in hac poſtrema Canonis *oratione Sacerdos elata voce illa verba profert,* Per omnia ſecula ſeculorum?

R. Ideo ea voce, ut ab omnibus exaudiatur, hæc verba pronunciat Sacer-

cerdos, ut omnes, reſpondendo *Amen*, conſenſu unanimi confirment, quæ omnium nomine a Deo petivit.

CAPUT XXII.

De oratione Dominica.

Oratio Dominica eſtne pars Canonis?

R. SUnt qui putant, orationem Dominicam partem *Canonis* eſſe; ſed nos cum aliis ſexta oratione *Canonem* expleri verius tenemus.

Ea verba, quæ ante hanc orationem recitat Sacerdos, quam antiqua ſunt?

R. Vetuſtiſſima eſſe videntur, & a primis Eccleſiæ temporibus ducta. Græci quoque, Maronitæ, Mozarabes, & Ambroſiani eodem fere modo præfantur.

Quamdudum Dominica oratio recitatur in Miſſa?

R. Ipſi Apoſtoli acceptam a Chriſto hujuſmodi orationem in Miſſa recitarunt: & ſunt nonnulli, qui eorum Miſſam non alia, quam hac oratione conſtaſſe exiſtimant. Quæ cum ita ſint, falſa eſt eorum opinio, qui hanc orationem, cujus etiam apud Sanctos Patres

 D.Gre-

D. Gregorio antiquiores mentio fit, juſſu S. Gregorii in Miſſa recitari ſcripſerunt.

Verene Apoſtolorum Miſſa ſola hac oratione conſtitit?

R. Incredibile eſt, quantum ea opinio, apud Hæreticos præcipue, invaluerit, Apoſtolicis temporibus Miſſam totam conſtitiſſe ex conſecratione, oratione Dominica, & Sacerdotis, eorumque qui adeſſent, communione; idque initium Sacrificii, finemque fuiſſe. Sed ex Juſtini Martyris Apologia 2. apparet, ſub ipſis Apoſtolorum temporibus Liturgiam ad Sacrificium Miſſæ conficiendum conditam fuiſſe. Ibi enim habetur, Sacerdotem, qui celebraret, accepto pane & calice, æterno Patri Sacrificium, nomine Filii & Spiritus Sancti, offerre conſueviſſe, debitas ſanctiſsimæ Trinitati laudes tribuere; multumque temporis in agendis gratiis & precationibus conſumere.

Cur hac oratio elata voce in Miſſa, in Officio ſubmiſſa dicitur?

R. Hujus rei rationem afferre conatur Belletus lib. de divino Offic. cap. 120. ideo ſcilicet elata voce hanc orationem in Miſſa recitari, *ut vel eo pacto adhortentur qui in fraterno ſunt odio,* &

& ad concordiam diſcordes excitentur, antequam communicent. Nos verius putamus, hoc ideo factum eſſe, quod Catechumeni ad illam Miſſæ partem minime adeſſent. Ferebat enim vetus diſciplina, ut nihil de Symbolo, & oratione Dominica Catechumeni audirent, niſi poſtquam ad *Competentium* claſſem commigraſſent. Contra vero, cum Infideles & Catechumeni Horis Canonicis adeſſe poſſent, ideo in his Dominica oratio ſubmiſſa voce recitabatur.

Quinam eſt in hoc ritus Græcorum?

R. Oratio Dominica apud Græcos non ſolum a Sacerdote, ſed etiam ab univerſo populo recitari conſuevit, teſte S. Gregorio Magno lib. 7. epiſt. 64. indict. 2. quod in Gallicana etiam Eccleſia aliquandiu viguit.

Cur a Sacerdote hæc oratio clauditur voce Amen?

R. Cum hujuſmodi oratio apud Evangeliſtas hac voce claudatur, ut eadem etiam in Miſſa terminetur, antiquitus decrevit Eccleſia. Abeſt hæc vox a Sacramentario S. Gregorii, edito a Menardo, ob eam fortaſſe rationem, quia, quæ proxime ſequitur, oratio appendix quædam eſt Dominicæ orationis, deſinitque

que in voce *Amen*, quæ a Miniſtro dicitur.

CAPUT XXIII.

De Oratione *Libera nos &c.*

Quanam mala ſunt præterita, præſentia, *&* futura, *a quibus liberari petimus in hac oratione?*

R. PRæterita mala ſunt peccata; *præſentia* tentationes, quibus ad peccandum impellimur; *futura* pœnæ peccatis debitæ, ſive eæ perpetuæ ſint, ſive ad tempus. Quia vero in hac oratione diſerte numerantur mala, a quibus liberari petimus, iccirco a Ritualiſtis græca voce *Emboliſmus* dicitur.

Licebat olim Sacerdoti præter eos qui nominantur, quoslibet alios Sanctos adjicere?

R. Licebat, affirmante Micrologo cap. 13. In Codice Tiliano poſt S. Andream SS. Gervaſius & Protaſius, & juxta Ambroſianum ritum S. Ambroſius nominatur.

Cur hic S. Andreas nominatur?

R. Quod primus ad Apoſtolatum vocatus fuit, ut conſtat ex Evangelio Joan-

annis. Ipſe enim primus Chriſtum repererat, ad quem Petrum fratrem ſuum adduxit.

Annon igitur B. Petrus primus vocatus fuit?

R. Licet quidam e Sanctis Patribus ita loquantur, quaſi Petrus primus ad Apoſtolicam dignitatem evectus fuerit, non ita tamen illi intelligendi ſunt, ut hoc ſibi velle voluerint; ſed illud tantum ſignificaverint, Petrum ſupra ceteros Apoſtolos & Eccleſiam univerſam fuiſſe collocatum. Ceterum olim S. Andreæ Feſtum, non ſecus ac ſolemnitas B. Petri, celebrabatur a S. Pontifice, & Officium partim ad altare S. Petri, partim ad altare S. Andreæ recitabatur. Extat præclara & affectus plena ad S. Andreæ Caput Pii II. oratio, cum illud ſibi ex Achaja miſſum excepit, in ejus commentariis lib. 8. pag. 357.

Quid agit Sacerdos, dum hanc orationem recitat?

R. Sacerdos ad hanc orationem cum pervenit, patenam in manus accipit, quod ea tunc opus habeat: patena autem ipſa ſe in modum Crucis ſignat, quod per Crucem Chriſtus ea omnia disjecit, quibus pax noſtra perturbatur: tum eam oſculatur, quia vas eſt, ubi ſacra ponitur

tur Euchariſtia, quæ vera Chriſtianorum eſt pax. In Miſſis ſolemnibus Subdiaconus patenam velo involutam tenet ab *Offertorio* uſque ad finem orationis Dominicæ; tunc autem evolutam Sacerdoti tradit ſuper altare. Hæc cœremonia in Pariſienſi Eccleſia non a Subdiacono, ſed ab Acolytho peragitur. In quibuſdam aliis Eccleſiis uſus invaluit, ut antequam patenam ſuper altare velo nudatam Diaconus ponat, eam populo oſtendat; idque ideo fieri creditur, quo ad communionem populus invitetur.

CAPUT XXIV.

De Infractione Hoſtiæ.

Unde ſumta eſt formula ritus Ambroſiani: Corpus tuum frangitur, Chriſte, Calix benedicitur?

R. JOſeph Antonius Saxius Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus epiſtola Mediolani edita anno 1731. vehementer reſtitit iis, qui e Canone Ambroſiano hanc formulam expungendam contendebant, tanquam a noſtræ Fidei dogmate alienam. Ex veteribus Eccleſiaſticis monumentis erudite probavit, eam formam loquendi, ab Humberto Cardinali præſcriptam, fuiſſe adhibitam a Berengario anno 1159., cum in Concilio centum & tredecim Epiſcoporum,

Præ-

Præſidente Nicolao II. ſummo Pontifice Fidem Catholicam profiteretur.

Revera frangiturne Corpus Chriſti?

R. Cum poſt conſecrationem panis & vini quantitas, ſapor, gravitas, color, quæ *accidentia* in Conſtantienſi Concilio, *ſpecies* in Tridentino appellantur, remaneant, Chriſti Corpus frangi dicitur ſecundum ſpecies & accidentia iſta: atque hoc modo intelligendam eſſe confeſſionem Berengarii probat D. Thomas p. 3. q. 77. art. 7.

Quis fuit Hoſtiæ frangendæ auctor?

R. Ipſe Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ. Fregit enim primum Hoſtiam, eamque poſtea Diſcipulis ſuis diſpertivit. Hinc nulla Liturgia eſt, in qua Hoſtiæ fractura non præſcribatur.

Quot in partes dividunt Hoſtiam Græci?

R. Quatuor tribuunt in partes Hoſtiam Græci; quarum alteram ſumit Sacerdos; altera diſpertitur populo; tertia reſervatur infirmis; quarta denique in Calicem immittitur, & cum Chriſti Sanguine commiſcetur.

In

In quot partes tribuunt Mozarabes?

R. Mozarabes in partes novem Hoſtiam dividunt,quarum cuique alicujus ex Chriſti Myſteriis nomen imponunt. Primam *Incarnationem* nominant; ſecundam *Nativitatem*; tertiam *Circumciſionem*; quartam *Transfigurationem*, ſeu *Apparitionem*;quintam *Paſſionem*; ſextam *Mortem*; ſeptimam *Reſurrectionem*; octavam *Gloriam Chriſti in Cœlo*; nonam denique *Jeſu Chriſti Regnum*, cum vivos & mortuos adveniet judicaturus.

In quot Latini?

R. Latini in partes tres Hoſtiam ſecant, quarum unam in Calicem injectam Sacerdos ſumit cum Sanguine,reliquas duas ſumit ſeorſum a Sanguine,qui Calice continetur.

Eademne apud nos Hoſtiæ frangendæ ratio ſemper viguit?

R. Semper Occidentalis Eccleſia in partes tres Hoſtiam diviſit, ſed non ſemper eadem cœremonia uſa eſt. Earum enim partium alteram in Calicem immittebat Sacerdos, alteram ſumebat, tertiam in plures particulas tribuebat, quibus vel præſentes, vel infirmos communicaret. Hujus ritus etiamnum exſtant in Miſſa

ſo-

ſolemni ſummi Pontificis quædam veſtigia, & in Miſſa, quæ celebratur in conſecratione Epiſcopi. Summus enim Pontifex tertiam particulam, altera ſumta, immiſſa in Calicem altera, in partes duas refectam Diacono & Subdiacono præbet. Epiſcopus vero conſecrator Hoſtiam in tres partes dividens, unam immittit in Calicem, altera ipſe ſe, tertia Epiſcopum qui conſecratur, communicat.

Cur Hoſtia in partes tres frangitur?

R. Plures hujus ritus rationes allegoricas ſacrorum Rituum Scriptores afferunt; quas omnes recenſere numerando longum eſſet. Afferemus tamen D. Thomæ hac ſuper re ſententiam, quæ inſtar omnium erit. Is igitur in P. 3. q. 83. art. 5. ad 8. ſecutus Can. *Triforme* de conſecr. diſt. 2. ait, Hoſtiam, quæ immittitur in Calicem, ſignificare, in cœlo eſſe Chriſtum, & B. Virginem cum anima & corpore, & ſi qui alii Sancti cum corporibus ſunt in gloria; partem, quam ſumit Sacerdos, innuere ambulantes adhuc in terra, qui Sacramentis utuntur, & ita *paſſionibus conteruntur*, ut panis comeſus dentibus atteritur; tertiam denique partem, quæ olim in altari pro infirmis reſervabatur, ſignificare eos, quorum corpora uſque ad judicii diem jacebunt in ſepulcro, animæ vero ſunt vel in Purgato-

rio,

rio, vel in Cœlo. Nec vero, quia ſublatus hic ritus eſt, ſublata quoque eſt harum partium ſignificatio. Alii putarunt, eodem atteſtante Doctore, Hoſtiæ partem, quæ injicitur in Calicem, eos, qui adhuc vivunt in terris, ſignificare; earum vero, quæ extra Calicem remanent partes, alteram, quæ reſervatur, plene beatos exprimere quoad animam & corpus, alteram, quæ comeditur, ſignificare ceteros. Innocentius III. lib.5.Myſt.Miſſæ cap.3. non abſimilem ab ea D.Thomæ rationem attulit.

Quid ſignificant tria Crucis ſigna, quæ cum Hoſtiæ particula ſuper Calicem ducit Sacerdos?

R. Sacerdos populum ſalutat dicens: *Pax Domini &c.* eique per Hoſtiam ſacram benedicit, tria ducens Crucis ſigna. Numerus hic, ſiquam rationem habet, præter numeri ipſius dignitatem, tres mulieres repræſentat, quæ Chriſtum quæſierunt ad oſtium monumenti, ut eſt apud Innocentium III.lib.cit.cap.2.

Quinam fuit ritus antiquus in hac Miſſæ parte?

R. Olim conſuetudo erat, ut ante verba illa, *Pax Domini ſit ſemper vo-*

biſ.

biſcum, benedictio daretur, quam ſacrorum Rituum Scriptores *Epiſcopalem* appellant, quod ad Epiſcopum pertineret. In hac ipſa Miſſæ parte indicebantur jejunia, quæ eſſent obſervanda, & preces, quæ pro aliquo fieri deberent. Ceterum juxta Ritum Mozarabum non Epiſcopi dumtaxat, ſed etiam cujuſque Sacerdotis erat hujuſmodi benedictionem populo impartiri; quod ex Mozarabibus ad Gallicanam Eccleſiam permanaſſe, obſervat Mabillonius de Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 4. num. 14. Sed hunc morem Concilium Toletanum IV. can. 18. ſuſtulit.

Quam antiqua eſt cæremonia immittendi in Calicem partem Hoſtiæ?

R. Antiquiſſimam hanc eſſe cæremoniam probat, vetuſtiſſimarum Liturgiarum, & antiquiſſimorum Conciliorum auctoritas. Ita enim præſcribitur in Liturgia S. Jacobi, & in Concilio Arauſicano anni 441. Ac in prioribus quidem duobus Romanis Ordinibus legitur, Papæ ad altare proficiſcenti, ut ſolemniter celebraret, ſanctiſſimam Euchariſtiam, ab alio Sacerdote confectam, in parvo quodam *Ciborio* aſſervatam exhiberi conſueviſſe, quam ante Miſſam Pontifex adorabat, &, cum diceret, *Pax Domini &c.* ejus particulam in Calicem immittebat. Id tamen in cauſſa

non

non erat, ut ejus Hoſtiæ particulam, quam ipſe conſecraverat,non immitteret. Quam quidem cæremoniam eodem plane modo ſervabat etiam Suburbicarius Epiſcopus, cui Euchariſtiam Pontifex miſiſſet. Hoc ideo fieri conſueviſſe docet Mabillonius ex ſecundo Ordine Romano num. 12. & 13. *ut hoc ritu Sacrificii unitas, atque unio Pontificis cum Sacerdotibus, & Epiſcopi cum Pontifice commendaretur.*

Particula Hoſtiæ immiſſa in Calicem quid ſignificat?

R. Cum ad hanc uſque Miſſæ partem Chriſti Paſſio & Mors per conſecrationem panis & vini ſeparatim factam fuerit repræſentata, in hac Chriſti Reſurrectio (quæ reliqua erat) concinne exprimitur. Particula igitur Hoſtiæ in Calicem injecta Chriſtum reſurrexiſſe ſignificat. Ita enim Corpus cum Sanguine iterum quodammodo conjungitur.

Unde ritus hic traxit originem?

R. Ex eo quidam hunc ritum originem traxiſſe putarunt, quod, vino conſecrato deficiente, Hoſtiæ conſecratæ particula in vinum non conſecratum immitteretur, quo populo communio ſufficeretur. Nos hanc opinionem rejicimus, non quod illi exiſtimarint, vinum Hoſtiæ conſecratæ

tactu

tactu conſecrari (diſerte enim ii dicunt, eo contactu fieri dumtaxat benedictum) ſed quod pro certo tenemus, non alio ritum hunc, quam ad cauſſam repræſentandæ Reſurrectionis Chriſti referri.

Quem ſenſum habet oratio, Hæc commixtio &c.

R. Innocentius III. cap. 2. lib. 5. Myſt. Miſſæ ita explicat vocem *commixtio*, ut referri debeat ad *ſpecies panis & vini, quibus continetur Corpus & Sanguis*. Hujus vero orationis, & illius vocis *conſecratio* vetuſtatem probat Bellarminus tom. 3. Controv. lib. 6. de Miſſæ Sacrific. cap. 27. eamque ſic explicat, ut petamus, ut *conſecratio, antea facta, ſit nobis ad vitam æternam ſalutaris*. Carthuſiani hanc orationem prætermittunt.

Quis orationem Agnus Dei &c. *in Miſſam introduxit?*

R. Sergius I. quod confirmat D. Bonaventura in expoſ. Miſſæ cap. 24.

Cur ter pectus ſibi percutit Sacerdos?

R. Ut oſtendat, ſe valde pœnitere peccatorum ſuorum; quod etiam facit, cum dicit, *dona nobis pacem*, fortaſſe quia olim

olim tertio itidem dicebatur, *miſerere nobis*. In Miſſis Defunctorum juxta noſtram Rubricam Sacerdos non percutit ſibi pectus, neque dicit, *miſerere nobis*, ſed *dona eis requiem*, ut ſignificet, defunctorum ſe magis, quam ſui, memorem eſſe.

Tres orationes ante communionem qua inſtitutione dicuntur?

R. Non recitantur tres orationes ante communionem ex antiqua ſummorum Pontificum inſtitutione, ſed piorum & religioſorum hominum traditione. Micrologus cap. 18. & alii.

Cum poſt primam orationem pax datur?

R. D.Thomas P. 3. q. 83. art.4. docet, populum parari ad Sacramentum percipiendum per pacem: addit, in Miſſis Defunctorum non dari pacem, quia in iis non pro præſenti pace Sacrificium offertur, ſed pro requie mortuorum. Quam etiam ob cauſſam prima harum orationum ex Rubricæ præcepto omittitur. Dici etiam fortaſſe poteſt, ideo non dari pacem in Miſſis mortuorum, quod eæ privatæ olim fuerint; pax autem nonniſi in ſolemnibus dari conſueverit. Porro in Miſſa Feriæ VI. Paraſceves in ſignum mœroris pax omittitur; quamobrem Procopius in Hiſto-

ſtoria arcana tradit, Juſtinianum & Theodoram infelici oſtento ad Imperium hac Feria acceſſiſſe, qua pax non datur.

Qua ratione pax datur?

R. Oſculo pax olim dabatur: quæ conſuetudo viguit uſque ad Innocentii III. tempora. Nunc aut amplexu datur, aut parva quædam præbetur ad oſculum Tabella, quam quidam *Oſculatorium* appellant, in qua Crucifixi imago depicta eſt.

Quis oſculo amplexum, aut tabella oſculum ſubſtituit?

R. Ferunt, Fratres Franciſcanos, ut alios ritus, ita hunc quoque non ſine ratione mutaſſe. Chriſtianorum enim oſcula quorumdam levitate in ejuſmodi oſcula abierant, quæ per viam ſibi occurrentes Ethnici viciſſim amicitiæ cauſſa ſibi offerebant; quam conſuetudinem licet a Tiberio gravibus de cauſſis, teſte Tranquillo, ſublatam, quaſi ex ipſa lege, qua prohibeatur, majores vires ſumſiſſet, firmiùs invaluiſſe apparet ex Martiale lib. 7. Epigr. 94.

Cur Sacerdos, antequam det per amplexum pacem oſculatur altare?

R. Ut oſtendat, ſe dare pacem non

poſſe, niſi a Chriſto, quem altare repræſentat, illam prius acceperit. Ceterum olim non altare Sacerdos oſculabatur, ſed Hoſtiam; quod obſolevit.

Quinam eſt in hoc Græcorum ritus?

R. Græci ceterique Orientales, & Mozarabes ante *Præfationem* dant pacem. Apud Maronitas mos eſt, ut ante *Præfationem* Sacerdos pacem det altari & ſacris Myſteriis dicens; *Pax tecum, altare Dei, & pax Myſteriis ſanctis poſitis ſuper te*; deinde ad Miniſtrum: *Pax tibi, Miniſter Spiritus Sancti*; cui Miniſter reſpondet: *Veni in pace, Pater noſter, Sacerdos candide*; poſtea populus ſibi invicem pacem dat.

CAPUT XXV.

De Communione Sacerdotis.

Unde ſumta ſunt verba illa, Panem cœleſtem accipiam &c. *& illa*, Domine, non ſum dignus &c.?

R. PRiora ſumta ſunt ex Pſal. 115. poſteriora (paucis immutatis) ſunt verba Centurionis, quem tradit Matthæus cap. 8. oraſſe Chriſtum, ut domum ſuam veniret, ſuumque puerum ſanitati reſtitueret. Porro ritus hic recitandi verba Centurionis eſt vetuſtiſſimus,

mus, cum ejus & Origenes homilia 5. & Chryſoſtomus homilia de S. Thoma Apoſtolo meminerint.

Unde illa, Quid retribuam Domino &c.?

R. Duo verſiculi, *Quid retribuam &c.* & *Calicem ſalutaris &c.* ſumpti ſunt ex pſalmo 115. Tertius vero, *Laudans invocabo &c.* ex pſalmo 17.

Quo ſtatu corporis ſumenda eſt Euchariſtia?

R. Quivis Epiſcopus, ſeu Sacerdos ſtans ſumit Euchariſtiam. Summus Pontifex itidem poſt fractam Hoſtiam *ad ſolium aſcendit* (ait Rocca tom. 1. pag. 10. editionis Romanæ anni 1719. *ibique conſiſtit, & ſtans erectus complicatis manibus Euchariſtiæ Sacramentum expectat*; nec prius ſedet, quam digitos & os abluerit. Fuere vero olim ſummi Romani Pontifices, qui in Miſſa ſolemni in ſolio ſedentes, facie ad populum converſa, Euchariſtiam ſumere conſueverunt, ut Chriſti Paſſionem & Mortem exprimerent, qui propalam paſſus & mortuus eſt. Sed nunc Pontifex ſtans in ſolio ſuſcipit Euchariſtiam, & aliis diſpertit, corpore tamen inclinato, & facie ad populum converſa. Quæ corporis inclinatio in cauſſa eſt, ut populo Pontificem procul & ex adverſo adſpicienti videatur ille ſedens communicare.

Pontifex ſumitne in Miſſa ſolemni particulam cum Sanguine?

R. In Miſſis ſolemnibus Pontifex particulam cum Sanguine, qui ſupereſt, Diacono & Subdiacono ſumendam relinquit; quod olim moris erat etiam Epiſcopis.

Quare, poſtquam Sacramentum Sacerdos ſumſit, vino os abluit?

R. *Vinum ratione humiditatis ſuæ eſt ablutivum, & ideo ſumitur poſt ſuſceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant; quod pertinet ad reverentiam Sacramenti*. D. Thomas P. 3. q. 83. art. 5. ad 10. Atque de hac purificatione, quæ ſolo vino fit, loquitur Innocentius III. in cap. *Ex parte* de celebr. Miſſarum.

Cur vinum quoque & aquam, quibus digitos abluerit, poſtea ſumit?

R. Revera vinum & aqua, quibus digiti abluuntur, olim non ſumebantur, ſed in locum mundum conjiciebantur, eodem Doctore teſte; ſed nunc ob reverentiam Sacramenti, & propter periculum, ne quod fragmentum digitis, aut Calici aliqua Sanguinis gutta adhæ-

ſe-

ſerit, Sacerdos etiam vinum hoc aqua mixtum bibit. Quod ut tutius fieri poſſet. S. Pius V. ad Archiepiſcopum Tarraconenſem ſcripſit, ſumenda eſſe ab ea Calicis parte, e qua hauſtus Sanguis fuerit.

Qua veteribus cura fuit, ne quid ſacri in patena, aut calice reſtaret?

R. Cardinalis Bona lib. 2. cap. 20. n. 1. ingenue fatetur, incompertum eſſe, quid potiſſimum remotioribus ab ætate noſtra temporibus Majores noſtri fecerint, ne quid ſacri in calice, aut in patena reſtaret; certo tamen dici poſſe, Miniſtros altaris omnem adhibuiſſe diligentiam, ne quid remaneret præter particulas, quæ præbendæ infirmis aſſervabantur.

Poteſtne quis in abluendo calice aqua ſola uti?

R. Vetat ſacra Tridentina Synodus, quæ novos ritus in Miſſæ celebratione proſcribit; eoſque tantum adhiberi vult, qui ab Eccleſia uſurpati probatique ſint.

Qua in Miſſæ parte Sacrificium conſiſtit?

R. Quidam Scholaſtici Sacrificium in Communione conſiſtere exiſtimant; Conſecrationem autem actionem quamdam

eſſe, quæ ad Sacrificium viam quodammodo parat. Sed nobis eorum ſententia potior eſt, qui Sacrificium in Conſecratione ſtatuunt;Oblationem autem & Communionem partes Sacrificii integrantes eſſe dicunt. Quamquam propius accedunt ad D. Thomam, qui Sacrificii rationem non in Conſecratione, aut in Communione, ſed in utraque ſimul collocant.

CAPUT XXVI.

De Communione Populi.

Ad quam Miſſæ partem Euchariſtia populo exhibetur?

R. POpulus, qui in Miſſa Euchariſtiam velit ſuſcipere, poſtquam Sacerdos utramque ſpeciem ſumſerit, ad altare debet accedere: tum, recitatis a Miniſtro & Sacerdote conſuetis orationibus, recipere. Sacerdos interim debet animadvertere, ut, cum Sacramentum porrigit, ſignum Crucis cum eo ducat, non extra, ſed ſupra pixidem.

Semperne conſuevit recitari Confiteor *ante populi communionem?*

R. Nulla quidem exſtant, Gavanto ſi credimus, vetera monumenta, quibus

bus probari poſſit, olim *Confiteor* ante communionem dici conſueviſſe. Sed le Brun tom. 1. pag. 644. ait, hunc ritum recitandi *Confiteor*, & orationem *Miſereatur noſtri*, ortum e conſuetudine Ordinum Mendicantium ſeculo decimo tertio.

Cur in Ordinatione Presbyteri omittitur Confiteor, *&* Miſereatur noſtri, *&* Indulgentiam &c.

R. *Quia concelebrat Pontifici*, ut habetur in Pontificali Romano. Porro ubi Epiſcopus Sacerdoti recens conſecrato Euchariſtiam porrigens protulerit, *Corpus Domini noſtri &c.* Sacerdos reſpondet, *Amen*.

Verba Corpus Domini noſtri *&c. quam antiqua ſunt?*

R. Hæc verba quidam religioſæ cuidam Traditioni tribuunt. Sed ritum valde vetuſtum eſſe conſtat ex iis, quæ narrantur in Vita S. Gregorii a Joanne Diacono conſcripta.

Quibus modis antiquitus Euchariſtia diſtribuebatur?

R. Multis modis olim Euchariſtia diſtribuebatur. Sed ille nobis obſervatione dignus videtur, quod vetuſtis tempori-

bus Euchariſtia communicandis in manus tradi conſuevit, quam ipſi ſibi in os injicerent. Sed viri quidem nuda manu excipiebant, fœminæ linteo mundo, quod *Dominicale* appellabant. Menſulæ etiam ſpongia expolitæ Euchariſtiam ſumturis olim apponi ſolebant, quibus hodie linteamina ſucceſſerunt, ut, ſiquid forte decidat, his excipiatur.

Quot modis Miſſa dici privata poteſt?

R. Multipliciter Miſſa vocari privata poteſt: vel quia privato in loco; vel quia non die feſto celebratur; vel quia privato cuidam medius Miſſæ fructus applicatur; vel quia Miſſæ pauci adſunt; vel quia non ad altare princeps Eccleſiæ celebratur, nec *Parochialis* eſt, ſeu *Conventualis*; vel quia ſolus Sacerdos Euchariſtiam ſuſcipit, nullique e populo diſtribuit. Miſſam hoc poſtremo nomine privatam abrogare conati ſunt Lutherus, Calvinus, & Kemnitius. Ac Lutherus quidem in hanc ſe opinionem veniſſe narrat, quod a Dæmone convictus argumentis fuerit.

Quid hac de re ſtatuit Synodus Tridentina?

R. Optat quidem ſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ, ut ad-

adſtantes omnes Euchariſtiam in Miſſa ſuſcipiant ; ſed probat & commendat etiam eas Miſſas, in quibus nemo præter Sacerdotem ſumit Sacramentum : quin anathema illis infligit, qui Miſſas eas illicitas, ideoque abrogandas eſſe affirmaverint.

Quid in more poſitum erat antiquis temporibus?

R. Veteres Chriſtiani, qui ſacris Myſteriis intererant, omnes ad ſuſcipiendum altaris Sacramentum accedebant. Rem hanc & narrant, & ratione confirmant Micrologus cap. 51. & Juſtinus Martyr in Apol. 2. Atque in Germania quidem, & alibi fortaſſe, ſeculo nono quidam, qui pluribus Miſſis aderant, in omnibus Euchariſtiam ſuſcipiebant.

Sacerdos teneturne ex præcepto divino Miſſæ adſtantibus & poſtulantibus Euchariſtiam miniſtrare?

R. Vehementem haud ita pridem Cremæ ortam hujuſmodi contentionem ſedavit atque compoſuit Benedictus XIV. P. M. Encyclica Epiſtola ad omnes Italiæ Epiſcopos miſſa pridie Idus Novembres anno 1742. in qua Epiſtola primum laudat morem diſtribuendæ Euchariſtiæ

cunctis Fidelibus, qui celebranti Sacerdoti adſtant, & ad eam accipiendam recte parati ſunt atque diſpoſiti; deinde decernit, licere Epiſcopo certis de cauſſis excipere loca & tempora quædam, in quibus celebrans ſolus communicet; & ſiquis hac de cauſſa turbas excitet, ex hoc ipſo apparere, eum non recte diſpoſitum eſſe; præſertim cum hoc tempore tam multæ ſint Eccleſiæ, tam multa altaria, tam multi Sacerdotes Miſſam celebrantes, ut quivis commode poſſit deſiderium ſuum, ſi ſanum ſit, communicando explere.

Laicus & Clericus non conficiens teneturne ex præcepto divino ſuſcipere Euchariſtiam ſub utraque ſpecie?

R. Negat multis rationibus ſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 21. cap. 1. eum, qui Miſſam non celebrat, teneri præcepto divino ad ſuſcipiendam ſub utraque ſpecie Euchariſtiam. Imo ait, ſe gravibus & juſtis cauſſis adductam decreviſſe, approbandam & pro lege habendam eam conſuetudinem, ut qui Miſſæ ſacrum non faciat, ſub ſpecie panis dumtaxat Sacramentum ſuſcipiat. A quo ſanctæ Synodi decreto impium eſſet recedere.

Qua-

Quanam eſt Græcorum ea de re diſciplina?

R. Etſi in Eccleſia Orientali per Quadrageſimam, Sabbathis & Dominicis exceptis, Euchariſtia ſub ſpecie tantum panis præbeatur; tamen, cum publica in templis fit communio Sacramentum ſub utraque ſpecie præbetur tum viris, tum fœminis. Unicuique ſcilicet ſacra porrigitur particula Sanguine tincta in cochleari poſita, cujus exile & prælongum manubrium eſt.

Etiamne ægrotis morti proximis Sacramentum ſub utraque ſpecie miniſtratur?

R. Feria V. in Cœna Domini grandior panis conſecratur, cujus quartam ſumit partem Sacerdos; tres autem reliquæ in particulas, quas *meridas*, ſeu *margaritas* vocant, dividuntur, eæque Sanguine tinctæ, ſtatimque igni admotæ exſiccantur, ut toto anno incorruptæ ſerventur, &, cum opus eſt, morti proximis communi vino emollitæ exhibeantur.

Quam dudum in Occidentali Eccleſia ſub ſpecie tantum panis Euchariſtiam præbendi cœpta eſt uſurpari diſciplina?

R. Credibile eſt haud ita multo ante D. Thomæ ætatem, qui obiit anno 1274. hanc diſciplinam fuiſſe in Occidentali Eccleſia uſurpatam. Poſtquam enim ille docuit P.3. q.80. art.12. ad 2. Sacramenti perfectionem non in uſu Fidelium, ſed in materiæ Conſecratione conſiſtere, teſtatur, ob metum, ne præbendo Euchariſtiam pueris, juvenibus, ſenibus Sanguis effunderetur, in aliquibus Eccleſiis conſuetudinem tenuiſſe præbendi Euchariſtiam ſub ſpecie tantum panis. Quam conſuetudinem poſtea Patres Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 13. adverſus Joannem Hus, & Hieronymum Pragenſem ſtatuerunt pro lege habendam eſſe, eumque damnarunt, qui eam improbaret. Idem anno 1437. adverſus Taboritas, & Calliſtinos ſancivit Baſileenſe Concilium, & Tridentina Synodus anno 1562. adverſus Lutheranos, & Calviniſtas.

Æque ne ſub alterutra ſpecie Corpus Chriſti integrum continetur?

R. Qui hoc negaret, hæreticus eſſet. Inconcuſſum enim Catholicæ veritatis dog-

dogma eſt, vi verborum conſecrationis venire ſub ſpeciem panis Corpus, & ſub ſpeciem vini Sanguinem per naturalem autem conjunctionem & concomitantiam & Corpus ſub ſpeciem vini, & Sanguinem ſub ſpeciem panis ſubire. Quare, ut paucis omnia complectamur, Fidei dogma eſt, ad æternam ſalutem ſatis eſſe ei, qui Miſſam non celebrat, ſub ſpecie tantum panis Chriſtum accipere; Fidei dogma eſt, Chriſtum æque ſub una, atque ſub altera ſpecie totum & integrum contineri; Fidei dogma eſt, non eſſe improbandam legem, quæ vetat, ne quis Euchariſtiam ſub ſpecie vini populo præbeat.

Calicis uſus Laicis conceſſuſne unquam fuit poſt vetitam ſub utraque ſpecie communionem?

R. Si quando Laicis & Sacerdotibus non celebrantibus Calicis uſus conceſſus fuit, ad diſciplinam pertinuit. Ea enim tantum de cauſſa conceſſum fuiſſe ſcimus, ut nationes, a Catholica veritate deviæ, ad eam reverterentur, quemadmodum feciſſe duas ex tribus Lutheranorum partibus Pii IV. Indulto, literis mandatum habemus. Sed graviſſimis de cauſſis ſublata poſtea conceſſio fuit, & Indultum illud Pii IV. primum a S. Pio V., deinde a Gregorio XIV. revocatum eſt.

Qui-

Quinam hoc tempore Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumunt?

R. Olim Pontifex in ſolemni Miſſa, quam in Coronatione ſua celebrabat, omnibus Cardinalibus Diaconis ſub utraque ſpecie Euchariſtiam diſtribuebat, ut videre eſt in epiſtola de Urbani VI. electione in Spicilegii tom. 4. edita pag. 306. Conſtat etiam, ſummum Pontificem ante exortam Huſſitarum hæreſim Imperatori, & Regi, non tamen Reginæ, ſub utraque ſpecie Euchariſtiam præbere conſueviſſe. Sed hoc tempore in ſolemni Miſſa Romani Pontificis Diaconus & Subdiaconus dumtaxat, qui illi adſunt, ſub utraque ſpecie Sacramentum accipiunt. Francorum etiam Reges ex privilegio die ſuæ Coronationis, & morti proximi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſuſcipiunt, teſte Spondano ad annos Chriſti 1351. num. 16. Sub utraque itidem ſpecie ſumunt Euchariſtiam ex ſpeciali privilegio Eccleſiæ S. Dionyſii prope Lutetiam Diaconus & Subdiaconus in Dominicis Feſtiſque ſolemnibus, & Miniſtri pariter altaris Cluniacenſis Eccleſiæ in omnibus Feſtis de præcepto.

CA-

CAPUT XXVII.

De orationibus, quæ ſubmiſſa voce dicuntur in Miſſa.

Quanam eſt Secretarum *etymologia?*

R. IN Cap.XI. hujus Secundæ Partis *Secretarum* etymologiam attulimus, diximuſque, eas ita appellari, quod *ſecreto* recitentur; quam etymologiam nunc quoque confirmamus. Neque vero audiendi ſunt novarum rerum amatores,qui, quod in vetuſtis monumentis ſit *ſubmiſſa voce*, interpretentur *ſine cantu*. Quis enim unquam ſibi perſuaſit, aut perſuadere ſibi poteſt, Canonem & verenda conſecrationis verba cani debere? In vetuſtiſſimo Ordine Romano ante annos mille ſcripto, apud Martene tom. 5. Theſauri Anecdotorum diſerte habetur: *Dicat orationem ſecrete, nullo audiente, niſi tantum ut venerit ad hoc verbum,Per omnia ſecula ſeculorum.*

Quando Canon & Conſecrationis verba ſubmiſſa voce recitari cœperunt?

R. Certum nobis eſt, a primis uſque Eccleſiæ ſeculis Canonem & Conſecrationis verba ſubmiſſa voce recitari conſueviſ-

viſſe. Ex multis rationibus, quæ hujus rei probandæ gratia afferri poſſent, ea nobis inſtar omnium eſſe videtur, quod ſeculo tantum quarto mandari literis cœperint Liturgiæ. Antea enim ſecretiſſime Sacramentorum formæ occultabantur, præſertim forma Conſecrationis panis & vini, quas Epiſcopi memoria cuſtodiebant, tradebantque iis, quos ſacris Ordinibus initiabant ea lege, ut ſancta verba profundo arcano recondita ſervarent. Ex quo quis ejuſmodi ritum vetuſtiſſimum eſſe non intelligat?

Nunquamne hæc diſciplina mutationem paſſa eſt?

R. Seculo ſexto in aliquibus Orientis regionibus mutavit paullulum hæc diſciplina propter Juſtiniani Novellam, qua cap. 6. edixit, divinam oblationem ab omnibus Epiſcopis & Presbyteris *non in ſecreto, ſed cum ea voce quæ exaudiatur*, in poſterum fieri. Quamquam oſtendit le Brun tom. 4. pag. 154. & ſeq. Orientales aliquot Eccleſias arcanum & ſilentium, fruſtra ea Juſtiniani refragante Conſtitutione, retinuiſſe; idque ex ritu etiam recentiorum Græcorum apparet, qui voce quidem elata verba Conſecrationis, demiſſa vero alias *Canonis* orationes proferunt.

Nihil-

Nihilne unquam in Occidentali Eccleſia Juſtiniani Novella immutavit?

R. Juſtiniani Conſtitutio in Occidentalem Eccleſiam nullam plane unquam mutationem invexit. Abunde id probat le Brun tom.4. pag. 133. prolatis Sacramentariis, Miſſalibus, & Ordinibus Romanis, quibus oſtenditur uſus ſecretarum precum in Miſſa per ea tempora, quæ Juſtiniani Conſtitutionem ſunt conſecuta. Neque ullum fide dignum poſt decimum ſeculum Auctorem invenies, qui aliter ſcribat?

Quid hac de re præcipit Synodus Tridentina?

R. Abſolute præcipit Tridentina Synodus, ut *Canon* ſecreto recitetur: affertque ejuſdem præcepti rationem ſeſs.22. cap.5. qua reſpicit ad Euchariſtici ſublimitatem Myſterii, quæ poſtulat, ut nihil neſciat Sacerdos, quædam vero ſint populo arcana; cum ad Sancti Spiritus operationem reſpicit, quæ panem & vinum convertens in Corpus & Sanguinem Chriſti non cadit ſub ſenſus; reſpicit itidem ſancta Synodus ad majorem venerationem, quæ ex ſecreto paritur erga res divinas: quo fit, ut Sacerdos, & qui adſtant, quæ repræſentantur Myſteria, meditari poſſint attentius.

tius. Innocentius III. lib. 2. Myſt. Miſſæ cap. 54. allegoricam affert hujus ſilentii rationem, Jeſum ſcilicet videndum ſe ſe Judæis non præbuiſſe, cum agitarent animo eum interficere, ut tradit Joannes cap. 11. & idcirco *ſilentium Sacerdotis latibulum Chriſti ſignificare*; & lib. 3. conſiderat, Chriſtum cum palmis & acclamationibus exceptum a turbis abiiſſe, & ſe abſcondiſſe ab eis non quidem ob metum, ſed *quia nondum venerat hora ejus*. Scribit igitur Pontifex: *Illud latibulum Chriſti hoc ſilentium repræſentat, in quo, ceſſante verborum tumultu, ſola dirigitur ad Deum intenta devotio*.

Nunquam ne tota Miſſa elata voce recitatur?

R. In ſola Sacerdotum ordinatione tota Miſſa elata voce recitatur. Non enim Ordinandi tam prope altare ſunt, ut olim, cum tam Epiſcopus ordinans, quam Ordinandi manibus Miſſale tenentes ſubmiſſa voce *Secretas* pronunciabant. Nunc Ordinandi circa altare in genua provoluti diſponuntur, & Epiſcopus quaſi eos doceat Miſſam celebrare, lente ac paullulum elata voce *Secretas* profert, non eas ut populus audiat, ſed ut Sacerdotes noviſſime initiari cum eo poſſint eas recitare, & verba Conſecrationis uno eodem-

que

que tempore cum Epiſcopo pronunciare. Hoc autem fit ad exemplum Chriſti, qu voce, quæ ab Apoſtolis audiri potuit, in ultima Cœna panem & vinum conſecravit, ut eos, quos tunc Sacerdotio initiabat, doceret conſecrandi modum legitimumque ritum ad conſummationem uſque ſeculi duraturum.

Poſt Synodum Tridentinam extitit ne aliquis, qui Secretas *& Conſecrationis verba alta voce recitari voluerit?*

R. Non defuere ſane aliqui pro humanæ naturæ levitate. Noviſſime Cardinalis de Biſſy anno 1710. novum pro Meldenſi Diœceſi edidit Miſſale, ubi, qui eam curavit editionem, illa Rubricæ verba, *ſubmiſſa voce*, explicavit *ſine cantu*; atque ut callide inſinuaret Canonem alta voce recitandum eſſe, ſingulis quibuſque orationibus addidit *Amen*. Denique notiſſimum eſt nuperrimum Miſſale Trecenſe; in quo inter certas novitates illa non deeſt, *Secretas* voce, quæ audiri poſſit a populo, recitandas.

Quis hiſce Novatoribus reſtitit?

R. Scriptoribus ſeculo noſtro vetuſtioribu Cardinalis Pallavicinus, & Natalis Alexander diſs. 12. de Hiſt. Eccleſ. ſeculi decimi quinti, & decimi ſexti art. 12. reſtiterunt, ſatis oſtendentes, quam bene

ſe-

ſecum conveniant Tridentini Concilii decreta. Cardinalis de Biſſy fateri veritus non eſt, ſe eſſe deceptum; & ſuum Miſſale, ſe inſcio, corruptum cenſura notari laudi ſibi duxit & gloriæ. Adverſus Miſſale Trecenſe ſcripſit Langletus Archiepiſcopus Senonenſis, qui veterem diſciplinam ſtrenue tuetur in Inſtruct. Paſtorali Pariſiis edita anno 1737. Hic, quo tempore Sueſſionenſis Epiſcopus erat, libellum ſcripſit *De vera mente Eccleſiæ in ſacris cæremoniis*, quo Verti fregit audaciam, qui plurimarum ſtudioſus novitatum & illud volebat, ut alta voce *Secreta* recitarentur. Sed & Theologi Galli ejuſmodi novam diſciplinam, quæ ſenſim irrepſiſſet, oppugnarunt egregie. Quorum quidem omnium veteris Eccleſiæ diſciplinæ tuendæ ſtudium laudamus; at non omnium rationes, tanquam veras, probamus. Auctor enim Tractatus *de Miſſa & Divino Officio* iterum Pariſiis editi anno 1714. pag.3. contendit, morem hunc inde profectum eſſe, quod in ſolemni, quæ cantatur, Miſſa, cum Chorus caneret *Sanctus*, & cantus longiore tractu propter notarum multitudinem protraheretur, Sacerdos Miſſam celebrans, qui cum Choro non caneret, cœperit recitare *Canonem* ſubmiſſa voce; atque hinc ad privatas Miſſas morem migraſſe affirmat. Eamdem antea ingreſſus fuerat viam Au-

ctor

ctor Tractatus *De optimo Miſſam audiendi modo* ſecundæ editionis Pariſienſis anni 1681. cap.6. pag.257. & ſeq. Vallemontius etiam perpulcrum *De ſecreto Myſteriorum* Tractatum Pariſiis anno 1710. edidit; ſed ejus rationibus ſubſcribere omnino non poſſumus. Exiſtimat enim, idque veriſſimum eſt, Catechumenos, Energumenos, Infideles, & publicos Pœnitentes dimitti conſueviſſe, cum recitari cœperat *Canon* Miſſæ: putat præterea, iis dimiſſis, cum ſoli Fideles in templo adeſſent, reliquum Miſſæ elata voce dici conſueviſſe, quod tamen eſt falſum. Arcani enim diſciplina vetabat, ne ſacroſancta Myſteria vel Fidelibus ipſis enunciarentur. Tandem cenſet octavo ſeculo cum ad Miſſam unicuique pateret aditus, opportunum viſum eſſe, ut, quemadmodum olim neque Catechumeni, neque Energumeni, neque Pœnitentes *Canonem*, ideoque nec Conſecrationis verba audiebant, ita deinde unumquemque hominum, qui Miſſæ adeſſet, totum id celaretur. Sed horum omnium rationes a veritate quantum abſint, ſatis apparet ex iis, quæ hactenus diximus.

Cum multa ſint præter Canonem, *quæ ſubmiſſa voce recitantur, cedo mihi, quæ elata, quæ vere ſubmiſſa voce dicantur?*

R. D. Thomas in P. 3. q. 83. art. 4. ait.

ait, Sacerdotem in Miſſa ea clara voce dicere, quæ ad ſe & ad populum, demiſſa vero, quæ ad ſe ſolum pertinent.

CAPUT XXVIII.

De Miſſa a Communione uſque ad finem.

Antiphona, quæ poſt Communionem recitatur; cur Communio *dicitur?*

R. Antiphona, quæ poſt Communionem recitatur, idcirco *Communio* dicitur, quia, ut obſervat Gavantus, canebatur interea dum populo Euchariſtia diſtribuebatur. Ejus mentionem faciunt Ordines Romani. Canebatur autem alternis quiſque verſus pſalmi, e quo erat compoſita. Cardinalis Thomaſius exemplum edidit pſalmi *Communionis*, qui cantabatur in modum antiphonæ. Producebatur cantus, donec Pontifex, qui Miſſam celebrabat, nutu monebat, ut a cantu deſiſteretur, & caneretur *Gloria Patri*, ut apparet in primo Ordine Romano num. 20. Hæc Miſſæ pars, in qua *Communio* & *Poſtcommunio* recitantur, olim vocabatur *Gratiarum Actio*.

Ora-

Orationes, quæ poſt Communionem *recitantur, cur dicuntur* Poſtcommunio?

R. Quia proxime poſt *Communionem* recitantur. In iis autem gratias agimus Deo, quod tantorum Myſteriorum voluerit nos eſſe participes; ejuſque auxilium imploramus, ut gratiam, quam per hoc Sacramentum acquiſivimus, conſervare poſſimus. In quibuſdam locis hæc oratio vocatur *Complenda*, ſeu *Oratio ad complendum*, hoc eſt oratio, per quam Miſſæ finis imponitur.

Quot in hac Miſſæ parte dicuntur orationes?

R. Totidem, quot dictæ ſunt in principio. In Miſſa feriali Quadrageſimæ additur oratio *ſuper populum* poſt formulam *Humiliate capita veſtra Deo*.

Oratio ſuper populum *cujus eſt antiquitatis?*

R. Oratio hæc *ſuper populum* vetuſtiſſima eſt, ut colligitur e Sacramentario Gelaſiano a Cardinali Thomaſio edito. Olim non per Quadrageſimam tantum, ſed per totum annum recitabatur.

Qua-

Quare in Quadrageſima dicitur?

R. Ut divino populus muniatur præſidio adverſus Diaboli inſidias, quæ metuendæ maxime ſunt diebus pœnitentiæ.

Quando in Miſſa dicitur, Ite, Miſſa eſt?

R, Juxta eam, quæ nunc invaluit, diſciplinam, quoties in Miſſa dicitur, *Gloria in excelſis*, toties dicitur, *Ite, Miſſa eſt*. Cum autem hymnus ille omittitur, dicitur, *Benedicamus Domino*, ut invitetur populus ad gratias de expleto Miſſæ Sacrificio Deo agendas. Græci hanc adhibent formulam: *In pace Chriſti eamus*; populus autem reſpondet, *In nomine Domini*.

Senſus iſtorum verborum quinam eſt?

R. Formula, *Ite, Miſſa eſt*, habet hunc ſenſum, Vobis ire licet. Hæc eſt Miſſa, ſeu dimiſſio.

Cur in Miſſis Defunctorum dicitur, Requieſcant in pace?

R. *Dicitur*, inquit Belletus cap. 49. *in Miſſa pro Defunctis, Requieſcant in pace, quod ex ſola generali conſuetudine natum eſt*; vel quia tota Miſſa pro Defunctis in eo eſt, ut ipſis a Deo quie-

tem

tem impetret; vel quia poſt Miſſam non non erat dimittendus populus, qui remanebat ad cadaveris ſepulturam aliaſque preces pro animabus Defunctorum.

Ritus dicendi, Deo gratias, *poſt* Ite, Miſſa eſt, *aut* Benedicamus Domino, *eſtne antiquus?*

R. Verba hæc habentur in Amalario, & in Ordinibus Romanis; quapropter vetuſtiſſimum hunc ritum eſſe conſtat. Clerici Eccleſiæ Pariſienſis, poſtquam Diaconus dixit, *Ite, Miſſa eſt*, nihil reſpondentes confeſtim abeunt.

Quid ſignificant duæ ſalutationes, quæ in hac Miſſæ parte populo fiunt illis verbis, Dominus vobiſcum?

R. Prima ſalutatio benedictionem illam ſignificat, quam Chriſtus aſcendens in cœlum dedit Apoſtolis; ſecunda vero ſignificat vitam æternam, in quam ingreſſus eſt Chriſtus aſcendens in cœlum, cum reliquit Apoſtolos.

Cum Sacerdos dicit, Benedicamus Domino, *aut* Requieſcant in pace, *cur ad altare convertitur?*

R. Ideo ad altare convertitur, cum hæc verba profert Sacerdos, quia populum cohortatur, ut una cum eo, be-

nedicat Domino, & oret pro animabus Defunctorum.

Cur orationem Placeat *ſecreto recitat Sacerdos?*

R. Hanc orationem ſubmiſſa voce recitat Sacerdos, quia in ea pro ſe ipſo orat. Inclinatus autem eam dicit, quod eam ad ſanctiſſimam Trinitatem dirigit. Hæc oratio in pluribus reperitur Sacramentariis poſt ſeculum nonum ſcriptis. Habetur etiam in Miſſa Matthiæ Illyrici, & in aliis apud Menardum.

Quam vetus eſt ritus benedicendi populo in fine Miſſæ?

R. Haud ita vetus eſt conſuetudo benedicendi populo in fine Miſſæ: nulla enim ejus in noni ſeculi Scripeoribus mentio. Seculo undecimo ejus meminit Micrologus. Carthuſiani neque in ſolemni, neque in privata Miſſa juxta antiquum ſuum Ritum populo benedicunt, niſi ſi celebrent in templis aliorum Ordinum.

Benedictio Epiſcoporum eſtne recentis uſus?

R. Epiſcoporum benedictio vetuſtiſſima eſt: *Benedictionem Epiſcopalem Martialis Epiſcopus Apoſtolorum diſcipulus ex*

ma-

magiſterio Apoſtolorum tradidit; verba ſunt Honorii in Gemma Animæ lib. 1. cap. 90. Alia monumenta ad rei vetuſtatem confirmandam exſtant apud Chriſtianum Lupum tom. 5. ad General. Concil. & Provincial. pag. 528.

Quot Crucis ſignis populo benedicunt Sacerdotes?

R. Ternis olim Crucis ſignis Sacerdotes populo benedicebant, ut nunc Epiſcopi. Sublatus eſt ejuſmodi ritus a S. Pio V. qui in ſolemnibus Miſſis dumtaxat adhiberi eum voluit. Clemens vero VIII. ſtatuit, ut Presbyteri, etiam in Miſſis ſolemnibus, uno tantum Crucis ſigno populo benedicant.

Abbates Regulares quot benedictiones impertiuntur?

R. Abbatibus Regularibus ex Alexandri VII. decretis poteſtas fit ternas dandi benedictiones in Miſſis tantum Pontificalibus, unam vero dumtaxat in aliis Miſſis.

Cur in Miſſis Defunctorum populo non benedicitur?

R. Olim in Miſſa quoque Defunctorum populo benedicebatur; ſed nunc

juxta eam, quæ invaluit diſciplinam, omittuntur omnia, quæ lætitiam præ ſe aliquam ferre videntur.

Quis voluit ut Evangelium S. Joannis in fine Miſſæ legatur?

R. Viri docti in eo conſentiunt, ut S. Pius V. ſtatuerit, in fine Miſſæ Evangelium S. Joannis eſſe legendum; cum antea alii legerent, alii omitterent, ut cuique libitum eſſet. Qui Miſſam ſolemnem in Sacello Pontificio celebrat, hoc Evangelium non recitat. Carthuſiani quoque illud prætermittunt.

Cur Miniſter reſpondet, Deo gratias?

R. Ut Miſſa deſinat in gratiarum actionem. Ceterum poſt Miſſam quaſdam orationes recitat Sacerdos, quibus gratias agit Deo; inter has vetus eſt trium puerorum hymnus *Benedicite*.

Finis Secundæ Partis.

DE

DE SACRIFICIO MISSÆ

PARS III.

CAPUT I.

De præcepto ſacrificandi.

Sacerdos teneturne Sacrum Miſſæ facere ex præcepto divino?

R. SAcerdotem ad Miſſam celebrandam teneri ex præcepto divino, dubitare non patitur S. Tridentina Synodus ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſ. can. 2. ubi diſertiſſimis verbis anathema infligit illis, qui negaverint, Chriſtum in ultima Cœna Apoſtolis & Sacerdotibus præcepiſſe, ut ſacrificarent. Plures porro hujus præcepti rationes affert D. Thomas in 4. ſent. diſt. 13. q. 1. ar. 2. in ſolut. quæſt. 3. *in corpore*; quarum ea eſt præcipua, ut Fidelium animis nullo non tempore hæreat memoria Paſſionis Jeſu Chriſti.

Hoc precepto tenenturne etiam ii, qui animarum curam non habent?

R. Negantem aliquorum ſententiam rejicit D. Thomas in 4. ſent. diſt. 13. q. 1. a. 2. & in P. 3. q. 82. art. 10. *quia* inquit, *unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum, ſecundum illud 2. ad Corinth. 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem Sacrificium offerendi non ſolum attenditur per comparationem ad Fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur; unde Sacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione ceſſare.*

Quibus diebus tenetur Miſſam peragere quidem Sacerdos?

R. Quidam Canoniſtæ exiſtimarunt, quemlibet Sacerdotem, etiamſi nec animarum curæ præſit, nec quoquam alio nomine ad Sacrum faciendum cogatur, quotidie facere debere, gravique peccato ſe obſtringere, quoties id negligit. Nimis dura hæc ſententia viſa eſt S. Antonino in P. 3. tit. 13. c. 6. paragr. 12. D. Thomas loco ſupra allato ait, Sacerdotem, ceteroquin liberum, teneri

ad

ad Sacrum Miſſæ peragendum diebus illis ſaltem, quibus Fideles ceteri Sacramentum Euchariſtiæ ſolent percipere; hoc eſt Dominicis, & ſolemnibus Feſtis: quod conſonat cum S. Tridentina Synodo ſeſſ. 23. de Reform. c. 14. *Curet Epiſcopus, ut* (Sacerdotes) *ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut muneri ſuo ſatisfaciant, Miſſas celebrent*.

Diebus non feſtis teneturne ſacrificare?

R. Fieri poteſt, ut urgeatur præcepto Sacri faciendi Sacerdos etiam non feſtis diebus ex aliqua, quæ ſuperveniat, cauſſa, ut ſi a Superiore ſuo ſacrificare jubeatur, aut Miſſa opus ſit ad conſecrandum, ut laboranti infirmo Viaticum deferri poſſit, & aliis multis de cauſſis, quas apud Morales Auctores fuſe explicatas invenire eſt. Ceterum, ſi abſit celebrandi cauſſa, non peccat, ſi a celebrando abſtineat.

Si per annum ſine cauſſa non ſacrificet, graviterne peccat?

R. Ita. Imo ne abſolvi quidem poteſt, ſi nunquam ſacrificare per annum in animo habeat, quod ſæpe in pecca-

tum ſoleat incidere. Tenetur enim a peccatis abſtinere.

Quid magis ex Eccleſiæ ſententia eſt, quotidie, an infrequenter ſacra fieri?

R. Pluribus de cauſſis melius eſt, & Eccleſiæ magis convenit quotidianum, quam infrequens Sacrificium. Sacrificandi enim munus non privatum, ſed publicum eſt, nec Sacerdoti tantum prodeſt, ſed Eccleſiæ univerſæ. Adde, quod Sacerdotis potiſſimum, primum, ac quaſi ſolum officium eſt Sacrificium offerre, quod ut digne facere poſsit, præcipuum illi Dei auxilium præſto eſt. Poteſt tamen vel propter reverentiam, vel propter timorem, ne id ſibi ſit utile, ab offerendo Sacrificio aliquando abſtinere. Sed cum Miſſa bonum ſit *ex genere ſuo*, abſtinere a Miſſa bonum ſit *per accidens*, concludendum eſt, melius eſſe Miſſæ ſacrum quotidie facere.

Quibus diebus tenetur Parochus Sacrificium offerre?

R. Jubet S. Tridentina Synodus ſeſſ. 22. in Decr. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ. & c. 4. ſeſſ. 24. de Ref. jubet, inquam, Epiſcopos diligenter monere populum, ut ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis ad ſuas Paro-

rochias accedat, ubi audire poſsit verbum Dei, quod declarare debet Parochus ipſe *inter Miſſarum celebrationem*, ut dicitur c. 8. ſeſſ. 22. & 24. de Ref. Cum igitur populus verbum Dei in Parochiali templo Dominicis Feſtiſque diebus audire teneatur, neceſſario ſequitur, Parochum per hoſce dies ſacrificare debere. In quibuſdam tamen Diœceſibus Parochi Synodalibus Decretis ter in hebdomada ſacrificium offerre tenentur, ut videre eſt in Provinciali Concilio Mediolanenſi 1. S. Caroli Borromei.

Poteſtne fieri, ut Parochus etiam aliis diebus ſacrum Miſſæ facere teneatur?

R. Tum tenetur Parochus etiam non feſtis diebus ſacra facere, cum aliqua neceſsitas cogat. Si enim, ut unum e pluribus, quæ poſſunt contingere, afferamus, opus eſſet Viaticum ægrotanti miniſtrare, nec eſſet Sacramenti copia, ſacrificare teneretur.

Canonici tenenturne quotidie Conventualem *Miſſam habere.*

R. Non ſolum Canonicis, ſed etiam aliis Sacerdotibus Cathedralium, ſeu Collegiatarum Eccleſiarum, *Conventualem* Miſſam quotidie habendi, interdum etiam

iam duas, onus imponunt apertiſsimæ Canonum & Rubricarum ſanctiones.

Qui ex Beneficio, *ſeu* Cappellania *quotidie ſacrificandi onus habet, poteſtne ſacrificium aliquando intermittere?*

R. Alexander III. rogatus, ut inſtitutionem *Beneficii* approbaret, in qua Inſtitutor onus impoſuerat Sacerdoti quotidie inſerviendi Eccleſiæ, niſi morbo impediretur, & quotidie Sacrificium faciendi, reſpondit: *Quam quidem inſtitutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, niſi infirmitate corporis fuerit impeditus, aſſidue debeat obſequium ſuum impendere Eccleſiæ memoratæ, & quanto frequentius poteſt, ſalva honeſtate ſua, & debita devotione, Miſſarum ſolemnia celebrare; nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere ſive cauſſa voluptatis, ſive ſe ad aliam Eccleſiam transferendo.* Hæc Decretalis præbuit anſam Auctoribus diſtinguendi Sacerdotes, qui *per ſe ipſos*, ab iis qui *non per ſe ipſos* Sacrificium offerre tenentur. Docent igitur uno ore omnes, eos qui *non per ſe ipſos* ſacrificare debent, ſi id ipſi præſtare non poſsint, curare debere, ut per alium præſtent. De iis vero, qui *per ſe ipſos* tenentur, alii aliter ſentiunt. Quidam putant, Sacerdotem poſſe ſemel in hebdomada ſacrificium omittere. Alii id negant; quod iniquum videatur,

Sa-

Sacerdotem quotidianam eleemoſynam accipere, cum bis & quinquagies a ſacrificio abſtineat. Alii arbitrantur, Sacerdotem poſſe quidem non ſacrificare, ſed illud præſtare per alium debere. Nos vero Decreto S. Congregationis Concilii XLV. Cal. Octobr. anno 1683. habito innixi diximus, eos Sacerdotes, qui ſacrificium offerre debent *per ſe ipſos*, poſſe interdum omittere Sacrificium juſta cauſſa impeditos; num autem id per alium præſtare debeant, ſub judice relinquimus. Ceterum caveant, cum vacant, ne ſibi licere putent pro ſe ipſis, aut pro aliis celebrare: multo autem magis caveant, ne pro aliis celebrent, ut ſtipendium accipiant.

Quibus diebus ſacrificare non licet?

R. Quamvis quidam contendant, etiam Feria V. in Cœna Domini, & Sabbatho privatim Miſſæ ſacrum fieri poſſe, nos a Decretis S. Congregationis Rituum non diſcedentes, non ſolum Feria VI. in Paraſceve, ſed neque Feria V. nec Sabbatho privatim ſacrificium offerri poſſe defendimus. Quod ſi Feſtum S. Joſephi, aut Annunciationis B.M.V. incidat in Feriam V. majoris hebdomadis, exſtant decreta ſummorum Pontificum, quæ jubeant, locorum Ordinarios curare, ut eo die aliquot privatæ Miſſæ celebrentur ante *Conven-*

tualem; ut præcepto audiendi Miſſam Fideles poſſint ſatisfacere. Non idem tamen fieri permiſſum eſt, ſi Feſtum Annunciationis incidat in ſabbathum ſanctum.

CAPUT II.

Quando plura Miſſæ ſacrificia eodem die ab eodem Sacerdote offerri poſſint.

Liceatne ter in privato Oratorio ſacrificare die Natali Chriſti, ſi, ut ſemel ſacrificetur, conceſſum fuerit?

R. Agitata hæc controverſia fuit in S. Congregatione Concilii, cum Benedictus XIV. P. M. in ea a ſecretis eſſet. Is muneris ſui tum eſſe duxit, Sermonem edere, quo rem totam bono in lumine collocaret. Itaque, rationibus utrinque ab eo allatis rite recteque diſcuſſis, S. Congregatio XIII. Cal. Febr. anno 1725. reſpondit, ter in Oratorio privato die Natali Chriſti eidem Sacerdoti ſacrificare licere, etſi, ut ſemel ſacra faceret, ei conceſſum fuiſſet.

Ex-

Extra hunc diem licet pluries ſacrificare?

R. Apud nos non licet. Sed in Aragoniæ Regno, quo Aragonia, Valentia, & Catalaunia continentur, die Commemorationis omnium Defunctorum quilibet Sacerdos ſecularis, bis, regularis ter ſacra facit. Idem uſurpatur in Regno Majoricæ, quæ eſt quaſi quædam Aragoniæ appendix. Viget etiam hæc conſuetudo Pampelonæ apud Dominicanos Cœnobii S. Jacobi, quòd Provinciæ quondam Valentinæ ſubiectum erat.

Unde hæc conſuetudo originem duxit?

R. Hæc conſuetudo ſecularium Sacerdotum ex alia quadam vetuſta conſuetudine traxiſſe originem dicitur. Regulares vero ſi qua fides Angelo Eſpin conſult. 11. n. 998. & Antonio a Spiritu Sancto conſult. 101. n. 16. hac utuntur conſuetudine ex vivæ vocis oraculo Julii, vel, ut alii malunt, Paulli III.

Poſſetne nunc in alias regiones hujuſmodi introduci conſuetudo?

R. Poſſet, ſi Pontifici placeret. Et ſane ſæpe poſtulatum fuit, ut hujuſmodi facultas ad alia Regna protenderetur.

Eam

Eam petiit Dux de Alcalà ab Urbano VIII. pro omnibus Regnis Hiſpaniarum; ſed voti compos non fuit. Pro omnibus Luſitaniæ Regularibus eamdem facultatem poſtulavit Dux Alencaſtri a Clemente IX. ſed, eo Pontifice defuncto, nihil ea de re actum eſt. Clemens XI. rogatus fuit ab Epiſcopo Pragenſi; ſed rem Pontifex S. Congregationi Concilii diſcutiendam commiſit, quæ prid. Id. Mart. anni 1711. Epiſcopi poſtulata rejecit. Dum Benedictus XIV. huic Congregationi a ſecretis eſſet, propoſitum fuit, an concedendum eſſet, ut Sacerdotes ſeculares Regni Caſtellæ bis, ter vero regulares ſacrificare poſſent in Commemoratione omnium Defunctorum; ſed nihil reſponſum eſt in ejus honorem, qui rem propoſuerat. Epiſcopus Orichuellæ in Regno Valentiæ S. Congregationi Concilii, Eccleſiæ ſuæ ſtatum referens dixit, Presbyteros ſeculares in ſua Diœceſi die Commemorationis omnium Sanctorum bis, die vero Commemorationis omnium Defunctorum ſeculares itidem bis, at regulares ter Sacrificium Miſſæ offerre ſolitos. Qui a ſecretis erat, interrogavit S. Congregationem, quid reſpondendum eſſet; at illa III. Cal. Sept. anni 1722. reſpondit, *Non propoſita*; quod indicium eſt, veterem hanc tolerari quidem conſuetu-

di-

dinem, ſed ejus introductionem improbari. Ceterum & S. Albertus Monachus *factus Presbyter*, ut Rupertus Archidiaconus narrat, *duas in die celebravit Miſſas, pro vivis alteram, alteram pro Defunctis*. Walfridius Strabo, qui nono vixit ſeculo, *de Rebus Eccleſiaſticis* c. 21. teſtatur, Leonem III. qui vixit exeunte ſeculo octavo, ſepties eodem die, interdum etiam novies ſacrum Miſſæ facere conſueviſſe; S. vero Bonifacium, qui vixit ante Leonem III. ſed eodem tamen ſeculo, ſemel tantum in diem ſacrificare ſolitum fuiſſe. Statuendum eſt, excepto die Natali Chriſti Domini, non licere Sacerdoti niſi ſemel tantum ſacrum Miſſæ peragere. Sed illo ipſo die caveat, ne in prima, aut altera Miſſa ablutionem ſumſerit. Jam enim, ea ſumta, non amplius jejunus eſſet, nec poſſet ad novum ſacrificium tranſire.

Eſtne cauſſa aliqua, quæ cogere poſſit Sacerdotem, ut pluries eodem die ſacrificet?

R. Gloſſa Canonica in textum Innocentii III. verbo *neceſſitatis*, ait, poſſe Sacerdotem, qui jam ſacra fecerit, iterum facere, ſiquis defunctus ſepeliendus ſit, nec quiſquam alius reperiatur, qui hoc præſtet. S. Raymundus in Summa l. 3. pag. 471. edit. Avenionenſis anni

1715.

1715. quoſdam alios Caſus affert, in quibus iterum licet ſacrificare; v. g. ſi iter facientes aliter Miſſa careant. Quidam putant, ſi ægrotus Viaticum peteret, nec eſſet qui Sacramentum conficeret, Sacerdotem iterum poſſe conſecrare. Nonnulli etiam affirmant, poſſe Sacerdotem eodem die iterum ſacrificare, id ſi petatur ab aliquo Principe, vel a ſuo Epiſcopo, qui Miſſæ ſacrificio non interfuerit, & intereſſe teneatur; itidemque ſi nuptiæ in alium diem rejici non poſsint, nec alius ſit Sacerdos, quam qui jam ſacra fecerit. Sed prudenter obſervat Sotus in 4. ſent. diſt. 13. q. 2. a. 2. plures hujuſmodi Caſus contingere potuiſſe, cum tanta Sacerdotum copia non eſſet; nunc vero non item, cum ſatis Sacerdotum ſit, & plus quam ſatis. Concedit tamen, Parochum, qui duas habeat Parochias, bis poſſe eodem die ſacrificare. Quod eſt intelligendum, ſi in alterutram Parochiam non poſsit populus convenire, nec alius Sacerdos præter Parochum ſit, qui ſacrificium offerre poſsit. Atque hanc fuiſſe cauſſam putant aliqui, quod Leo III. toties eodem die ſacrifieaverit. Quos vero Caſus ſupra attulimus, ii ſi forte eveniant, non tamen idcirco Sacrificium geminare licebit.

Pa-

Parochus, qui duas regat Parochias, & bis eodem die ſacrum facere debeat, veniamne ab Epiſcopo petere debet?

R. Diſſentiunt inter ſe Doctores. Sed nos dicimus, ſive Epiſcopi neceſſaria venia ſit, ſive non, id certe neceſſarium eſſe, ut ille rem cognoſcat ac diſpiciat, num revera hujuſmodi neceſsitas urgeat.

Quinam Caſus contingere poſſunt, qui Sacerdotem revera cogant bis eodem die ſacrificium offerre?

R. Præter Miſsionarios, qui poſſunt pluries eodem die ſacrum Miſſæ peragere ex privilegio, præſtari etiam id poteſt a quolibet Sacerdote, ne Chriſtifideles Miſſa careant; ſi ita poſcat aut locorum natura, aut paucitas Sacerdotum, aut hæreticorum & infidelium infeſtatio. Feria tamen VI. in Paraſceve bis ſacrificari nunquam poteſt; quod neceſſe non ſit, eo die Fideles Miſſæ adeſſe; tum etiam quia jam fractum jejunium eſt.

Quid moris eſt, ad hanc rem quod attinet, in Eccleſia Orientali?

R. Non modo bis ab eodem Sacerdote in Eccleſia Orientali eodem die ſacri-

crificari non poteſt, ſed ne in eodem quidem altari a duobus Sacerdotibus ſine gravi aliqua & neceſſaria cauſſa. Cyrillus quidam Patriarcha hanc quæſtionem propoſuit in Congregatione, quæ de rebus Melchitarum juſſu Pontificis habita fuit; cumque ea Congregatio cognoviſſet, reſcriptum antea fuiſſe anno 1716. id non eſſe permittendum, cenſuit ſemel tantum ad idem altare eodem die ſacrificium offerendum eſſe: juſſitque, Epiſcopos diligenter curare, ut in eodem templo plura eſſent altaria, in quibus poſſet ſacrificari, vel ſimul plures celebrarent juxta morem Orientalis Eccleſiæ. Atque idem ſemper Apoſtolica Sedes cenſuit, & confirmavit tum anno 1729. tum etiam temporibus, quæ poſtea ſunt conſecuta.

CAPUT III.

De Oratoriis privatis.

Miſſæ ſacrum fieri ne poteſt in Oratoriis privatis?

R. De loco, in quo Miſſæ ſacrum fieri debeat, diximus in Cap. 1. Part. 1. & præterquam in publicis templis, fieri etiam poſſe docuimus in privatarum ædium Sacellis ex ſummorum Pontificum conceſſione.

Epi-

Epiſcopus poteſtne concedere hujuſmodi facultatem?

R. Olim quidem Epiſcopi poterant hujuſmodi facultatem concedere; ſed ea a S. Tridentina Synodo ſeſſ. 22. in Decreto de obſerv. & evit. in celebr. Miſ. ademta illis eſt. Servatum tamen eſt iis jus Miſſæ celebrandæ in ſuarum ædium Sacellis.

Poſſuntne Epiſcopi altari mobili uti?

R. Jus altari mobili utendi olim habebant Epiſcopi, ut apparet in jure Canonico cap. *quoniam*, de Privilegiis in 6. Sed Clemens XI. graviſſimis rationibus adductus vetuit XVIII. Cal. Jan. 1703. nequis Epiſcopus extra ſuam domum, ſcilicet in Laicorum ædibus, ſive in ſua, ſive in aliena Diœceſi, hac conceſſione in poſterum uteretur. Cui tamen decreto ex declaratione Innocentii XIII. a Benedicto XIII. confirmata locus non eſt, ſi Epiſcopus tanquam hoſpes in alicujus Laici domo moretur, aut Diœceſim viſitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apoſtolicæ habitando in domo aliena extra Diœceſim. Eodem jure gaudent Cardinales, etiamſi non ſint Epiſcopi. Hoc etiam jure gaudebant olim Fratres Prædicatores, & Minoritæ; verum hoc illis S. Tri-

Tridentina Synodus ademit . Gregorius tamen XIII. hoc Patribus Societatis Jeſu Miſſionariis conceſſit, Synodique Tridentinæ decreto derogavit.

In ædibus Epiſcoporum ſemelne, an pluries ſacrificari poteſt?

R. In ædibus Epiſcoporum & Cardinalium pluries eodem die Miſſæ ſacrum fieri poteſt etiam a Sacerdotibus, qui ex familia non ſint, licet Epiſcopus, vel Cardinalis abſit; quique in illis, quamquam non ex familia, diebus feſtis Miſſæ interſit, Eccleſiaſtico præcepto ſatisfacit.

Si neceſſitas urgeat, licetne extra templa, & oratoria ſacrificare?

R. Etiam extra templa & oratoria Miſſæ ſacrum fieri poteſt, modo locus, in quo fieri debet, mundus ſit. Sacerdotibus in exercitu Sacramenta adminiſtrantibus licet ſacrificare in caſtris; navigantibus, in litore; per Infidelium regiones iter facientibus, in quovis honeſto loco, ſemper tamen ſuper petra conſecrata.

In navi, ſeu triremi efferrine ſacrificium poteſt?

R. In Sacerdotali Romano c. 47. gene-

neralis hæc regula habetur : *In loco fluctuanti, ut in mari, vel fluminibus celebrare non licet alicui*. Quæ tamen regula ita explicari poteſt, ut Miſſam, quam *Siccam* vocant, minime prohibeat.

Quid eſt Miſſa Sicca?

R. Sacerdos ſacris omnibus veſtibus indutus Miſſam, quæ *ſicca* dicitur, legit uſque ad *Offertorium*; recitat *Præfationem*, omittit *Canonem*, dicit *Orationem Dominicam*, præterit *Secretas* omnes, nihil denique dicit eorum, facitve, quæ fiunt, dicunturve ſuper Hoſtiam, & Calicem, quorum neutrum debet eſſe ſuper altare.

Cur introducta?

R. Ejuſmodi Miſſa, quæ etiam *Nautica* dicitur, introducta fuit, ne navigantes omnino Miſſa carerent in longis navigationibus, neve in Miſſa, quæ in mari perageretur, periculum eſſet, ut effunderetur Sanguis, dum navigium jactaretur. Hanc porro Miſſam multi probant, plures improbant, quorum nos ſententiæ ſubſcribimus.

Miſſa vera in mari peragi ne poteſt?

R. Quidam affirmant, veram Miſſam in mari fieri poſſe, tranquillo tamen cœ-

cœlo, pacatis undis, & tuto navigio. S. Antoninus P. 2. tit. 13. c. 6. & Joannes Major in 4. ſent. diſt. 13. q. 4. in princ. negant. Sed ſublata nunc omnis quæſtio eſt. Juxta enim eam, quam ſervat Sedes Apoſtolica, conſuetudinem, nunc in mari ſacrificari non poteſt ſine ſummi Pontificis venia, quæ non conceditur, niſi tutum navigium ſit, ac longe abſit a litore, tranquillumque ſit mare, & Sacrificanti adſit etiam alius Sacerdos, vel Diaconus, qui ſiquis cooriatur motus, quo Calix everti poſſit, manu Calicem ab ejus periculo eripiat.

Licetne ſacrum Miſſæ facere ſine ſacris Veſtibus?

R. Omnes in eo conſentiunt Auctores, ut Miſſæ ſacrum fieri non poſſit ſine ſacris Veſtibus; imo eum graviter peccare contendunt, qui aliquam ex illis prudens omitteret. Itaque etiamſi Viaticum ægroto eſſet deferendum, nec Veſtium copia eſſet, Parochus non modo non poteſt ſine ſacris Veſtibus ſacrificare, ſed neque Sacramentum ægroto deferre. An autem metu mortis liceat ſine ſacris Veſtibus ſacrificare, non convenit inter Auctores.

Licetne ſine Luminibus?

R. Neque ſine Luminibus Miſſa peragi poteſt, etiamſi quævis urgeat neceſſitas. Lumina porro eſſe debent ex cera, ut in Miſſalis Rubrica. Pontas Silvii auctoritatem ſecutus ſcribit, urgente neceſſitate, Lumina ex oleo eſſe poſſe, vel ex ſevo. Ceterum ſi neceſſario ſacrum Miſſæ fieri debeat, & unicum lumen ex cera reperiatur, hoc unum ſatis eſſe, obſervat Gavantus ad Rubr. 20. de præp. alt.

Licetne ſine Miniſtro?

R. Etſi generalis ea regula eſt, non poſſe Miſſam ſine Miniſtro peragi, juxta Decretalem Alexandri III. in cap. *propoſuit*, de fil. Presb. tamen poteſt Sacerdos etiam ſine Miniſtro ſacrum facere, ſibique ipſe reſpondere, ſi Viaticum opus ſit ægroto miniſtrare, ut docet Sylvius P.3. p.83. a.5. qui etiam cenſet, Sacerdotem, cui die feſto non ſit copia Miſſæ audiendæ, meliore conſilio Miſſam prætermittere, quam ſine Miniſtro celebrare: quamquam negat, illum peccare, ſi ſine Miniſtro celebret.

Qui ſacrificat in templo polluto, peccatne?

R. Maxime. Facit enim contra Eccle-

cleſiæ legem in re gravi. Si tamen Epiſcopus permittat, ſacrificari ſine peccato poteſt, auctore Sylvio P.3. q.85. a.3.

Sacerdos hinc incurritne in Cenſuram aliquam, aut Irregularitatem?

R. In nullam cenſuram incurrit. Sed neque Irregularis fit, quemadmodum traditur in cap. *is qui*, de ſent. excom. in 6. Etſi ceteroquin irregularis a Bonifacio VIII. declaretur, qui in loco interdicto ſacrificet.

Quot modis polluitur templum?

R. Quinque modis templum polluitur. I. Si in eo homicidium voluntarium perpetrentur, cap. *propoſuiſti*, de conſecr. Eccl. II. Si in eo magna vis humani ſanguinis effundatur, can. *eccleſiis*, de conſecr. diſt. 1. & cap. *ſi Eccleſia*, de conſecr. Eccleſ. III. Si in eo ſponte emittatur ſemen humanum, ut in allatis locis, *ſive effuſio ſit ſecundum naturam*, *ſive contra*, *ſive per copulam alias licitam*, *ſive per illicitam*, juxta communem ſententiam. IV. Si excommunicatus vitandus in eo ſepeliatur, cap. *conſuluiſti*, de conſecrat. Eccleſ. V. Si in eo itidem ſepeliatur Ethnicus, vel Infidelis, can. *Eccleſiam*. de conſecr. diſt. 1.

CA-

CAPUT IV.

De Miſſæ tempore, de Applicatione, de Eleemoſyna.

Qua hora Miſſa celebranda eſt?

R. Miſſæ ſacrum fieri debet ab aurora ad meridiem, ut præſcribit Rubrica Miſſalis. Excipitur tamen Natalis J. C. pervigilium, in quo ſtatim poſt mediam noctem Miſſa juxta Eccleſiæ conſuetudinem fieri conſuevit. S.Pius V. edita Bulla 4. tom. 2. Bullarii, antiqua omnia ſubſtulit privilegia, quorum vi quidam ante mediam noctem in eodem privilegio ſacrum Miſſæ peragebant. Sed æquitate quadam, juxta conſuetudinem, quæ etiam Romæ viget, ut horæ triente ante auroram, & poſt meridiem peragi poſſit, tolerari ſolet. S.Congregatio Concilii, Clementis XII. juſſu, Proſpero Card. Lambertino, nunc Benedicto XIV. epiſtolam ſcripſit, in qua improbavit pravam conſuetudinem multas Miſſas ante auroram, multaſque itidem poſt meridiem celebrandi ſolemni aliquo Feſto occurrente.

Miſſæ fructus quotuplex?

R. Triplex. Primus, cujus Fideles o-

mnes in genere fiunt participes, diciturque *generaliſſimus*. Secundus, quo ſingulari quodam modo fruitur Sacerdos, & vocatur *ſpecialiſſimus*. Tertius, qui dicitur *medius*, quemque iis Sacerdos applicat, pro quibus ſacrificium offert.

Qui curam animarum habet, teneturne offerre ſacrificium pro populo feſtis diebus?

R. S. Congregatio, cujus ſententia pro lege eſſe debet, ſtatuit, ut qui curam animarum habet, teneatur ſacrificium offerre pro populo omnibus diebus Dominicis & Feſtis ex præcepto, ſive Parochus ſecularis ſit, ſive regularis, ſive etiam ad tempus Parochum agat, & vicariam operam, Eccleſia vacante, præſtet, ſive congruam ex Sacerdotio ſuſtentationem habeat, ſive non habeat; illudque dumtaxat concedit Parocho, qui pauper ſit, ut etiam die feſto ſacrificium offerre poſsit pro eo, qui ſibi ſtipendium dederit, dummodo offerat in Parochia, ne populus Miſſa careat, & alio hebdomadæ die pro populo offerat, loco ejus, quod offerre debuerat feſto illo die, quo ſtipendium accepit.

In Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis Miſſa Conventualis *pro quo offerenda?*

R. Hujuſmodi Miſſa non pro quoquam

quam ſingulari Benefactore offerenda eſt, ſed pro Benefactoribus in univerſum. Et qui ſecus faxit, obligationi non ſatisfacit. Quod ſi Eccleſiæ hujuſmodi animarum curam habeant, duplex omnibus Dominicis Feſtiſque diebus ex præcepto Miſſa in illis eſt celebranda, quarum altera, *Conventualis* ſcilicet, pro Benefactoribus, altera pro populo offeratur: nec ulla contraria conſuetudo ab hoc onere excuſat.

Suntne aliquæ Eccleſiæ ab hoc onere immunes?

R. Liberantur onere offerendi Miſſam *Conventualem* eæ Eccleſiæ, quibus, licet in iis divina officia quotidie peragantur, & Miſſa cantu celebretur, tamen ad Collegiatam conſtituendam aliquid deeſt. Quarum autem Cathedralium, vel Collegiatarum tenues opes ſunt, eæ poſſunt impetrare facultatem non applicandi pro Benefactoribus Miſsam *Conventualem* diebus non feſtis: nunquam tamen obligatio tolli poteſt applicandi diebus feſtis. Plura exſtant in hanc ſententiam S. Congregationis decreta. Exſtant vero etiam luculentiſsimæ Benedicti XIV. ad Epiſcopos Literæ, ſcriptæ XIV. Cal. Sept. anno 1744. quibus decernit, ut Parochi quicumque ſive ſeculares, ſive regulares, & Vicarii etiam, ſive perpetui, ſive ad tem-

pus, aliique, quibus aut occaſione Sedis vacantis, aut alio quovis titulo cura animarum commiſſa eſt, etiamſi congrui reditus non ſuppetant, teneantur ſingulis Dominicis, & diebus feſtis ſacrificium populo applicare. Ceterum iis, qui ita tenues reditus habent, ut ex eleemoſynis Miſſarum vivere cogantur, concedit, ut ſacrificium die feſto offerre poſsint pro eo, qui eleemoſynam largitus fuerit, dummodo alio hebdomadæ die pro populo ſacrificent. Decernit item rata eſſe debere pro Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis decreta S. Congregationis, ut videlicet quotidie Miſſa *Conventualis* Benefactoribus univerſim applicetur; ita tamen, ut ſi earum reditus valde tenues ſint, facultatem a S. Congregatione impetrare poſsint obligationis contrahendæ ad dies feſtos.

Si Inſtitutor alicujus Sacerdotii onus impoſuerit ſacrificandi, non offerendi, quid cenſendum ſit?

R. Licet id diſerte Inſtitutor alicujus Sacerdotii non expreſſerit, tamen æquitati conſentaneum eſt cenſere, ei, qui ſacrificare debet, offerendi etiam onus eſſe pro Inſtitutore injunctum. Ita pluries ſancivit S. Congregatio. Verum ſi forte certum Miſſarum numerum diſertis verbis offerri pro ſe Inſtitutor juſſerit, tunc ex verbis ipſis inſtitutionis facile

cile eſt intelligere, liberam eſſe reliquarum Miſſarum applicationem.

Quid ſi Inſtitutor injunxerit tantum, ut Sacerdos oret *pro anima ſua?*

R. Dubitationem omnem ſuſtulit S. Congregatio, quæ, dum illi Benedictus XIV. P.M. a ſecretis eſſet, ad offerendum teneri Sacerdotem reſpondit in Cauſſa Ventimilienſi V. Cal. Maj. an. 1700.

Quid ſi Inſtitutor alii Sacerdotio offerendi onus addiderit, alii tantum orandi?

R. S. Congregatio Concilii in Cauſſa Ferrarienſi III. Id. Jun. anni 1700. reſpondit, Inſtitutorem, ubi juſſerit pro ſe orari, non impoſuiſſe onus ſacrificium offerendi, ſed voluiſſe tantum, ut Sacerdos in oratione *Memento* ſui mentionem faceret. Ita enim colligitur ex diverſo modo loquendi, quo Inſtitutor uſus eſt.

Si Sacerdos juſſus a Superiore Miſſam offerre pro certa perſona, offerat pro altera, cuinam prodeſt ſacrificium?

R. Cenſemus, ſacrificium ei prodeſſe, pro quo revera Sacerdos offert. Non enim Sacerdos ſacrificii dumtaxat mini-

ſter eſt, ſed etiam diſpenſator vi ſuæ ordinationis; & quemadmodum in conficiendo Sacramento ab auctoritate non pendet Superioris, ita poteſt ſacrificium offerre pro quo ipſe voluerit. Quare docent Auctores, Deum ad voluntatem reſpicere, quam Sacerdos habuit, non quam habere debuit ex præcepto Superioris. Ceterum Sacerdos hic obedientiæ præceptum violat.

Quid ſervandum eſt in accipienda eleemoſyna?

R. Sex regulæ ſunt abſque ulla hæſitatione ſervandæ a Sacerdote, qui pro offerendo ſacrificio ſtipendium accipit. I. Etſi eleemoſynam acceperit minorem, quam fert Diœceſeos conſuetudo, tenetur ſacrificium offerre pro eo, qui ſtipendium dederit. II. Si a pluribus plures exiguas eleemoſynas acceperit, ut ſacrificium offerat, toties offerre debet, quot juxta ſuæ Diœceſeos conſuetudinem eleemoſynas illarum pecuniarum ſumma conſtituit. III. Si eleemoſynam ſolito majorem acceperit, nec ipſe offerre queat, debet, quanta quanta fuerit, eleemoſynam illi tradere qui offert, etiamſi ille minorem, quam tu acceperis, volens accipiat. IV. Etſi fructus *medius* ſacrificii, quem Sacerdos poteſt, cui velit, applicare, *ſatisfactorius* ſit & *impetratorius*, non licet duplicem eleemoſy-

nam

nam accipere, alteram, ut applicetur fructus *ſatisfactorius*, puta alicui defuncto, alteram, ut applicetur fructus *impetratorius*, e.g. alicui ægroto. V. Non poteſt Sacerdos accipere eleemoſynam, ut alicui applicet fructum *ſpecialiſſimum*, qui ſibi, ut ſacrificanti, debetur. VI. Sacerdos, qui tenetur quoquo modo certis diebus offerre Miſſam, non poteſt ab aliis ſtipendium accipere pro offerenda Miſſa iiſdem diebus.

Qui habet onus tantum ſacrificandi, poteſtne accipere ſtipendium pro Miſſa offerenda?

R. Hanc rem pertractavit Benedictus XIV. P. M. in Edicto 15. tom. 3. Ceterum pluries declaravit S. Congregatio poſse Sacerdotem, qui onus tantum ſacrum faciendi habeat, aliam pro offerendo ſacrificium eleemoſynam accipere.

Poteſtne offerri Miſſa alio tempore, quam quo qui ſtipendium dederit, voluerit?

R. Non poteſt. Imo qui ita fecerit, tenetur ſtipendium reſtituere: præſertim ſi præterierit tempus illud, eaque cauſſa ceſſaverit, propter quam eleemoſyna ad ſacrificandum data fuerit.

Poteſtne offerri Miſſa pro eo, qui primus quandocumque ſtipendium dederit?

R. Hæc quæſtio quondam inter Doctores in utramque ſententiam, ut fieri ſolet, abeuntes diu agitata, tandem a S.Congregatione ſoluta eſt. Pronunciavit enim, non licere; quod decretum approbavit Clemens VIII. atque edidit Paullus V. ut nullus jam ſit dubitandi locus. Rationem reddit Sylvius tom. 5. quod neſcio quid ſordidum in ea re appareat, & nonnihil ſuboleat avaritiæ, quam in hac re tantopere deteſtatur Eccleſia.

Sacerdos, qui tenetur bis, vel ter in hebdomada ſacrificare, poteſtne ſacrificium prævertere?

R. Sylvius loco cit. non negat, eum poſſe. Quis enim gratior eſſe poteſt debitor, quam qui argentum prævertit ſolvere? Quamquam hoc ita intelligendum eſt, ut, ſi appareret, Inſtitutorem alicujus Sacerdotii ideo hæc ſacrificia in hebdomadas diſtribuiſſe, ut quædam altaria Miſſa non carerent, vel ne cui Vico, aut Pago certis quibuſdam diebus Miſſa deeſſet, aut aliqua alia de cauſſa, Sacerdos ab Inſtitutoris voluntate recedere non poſſit.

Qui

Qui habet onus offerendi ſacrificii pro aliquo, teneturne die Natali Chriſti ter illud offerre?

R. Niſi Inſtitutor diſerte id juſſerit, non tenetur.

Qui quotidie pro Inſtitutore offerre tenetur, etiamne die Commemorationis omnium Defunctorum pro ipſo offerre debet?

R. Averſa q. 11. de Euch. ſect. 18. putat, eo die ceſſare onus ſacrificandi quotidie, ideoque Sacerdoti licere Miſſam eo die offerre vel pro omnibus defunctis, quod eſſet optimum, vel pro privato aliquo defuncto. At Paſqualigus q. 1134. contendit, eo die quotidiani ſacrificii onus non ceſſare; addit tamen, licere Sacerdoti Miſſam vel pro aliquo defuncto, vel pro defunctis omnibus offerre. Præſumendum enim, voluiſſe Inſtitutorem eo die Sacerdoti Miſſam pro ſe offerendam remittere.

Parochus die Natali Chriſti teneturne ter Miſſæ ſacrum facere?

R. Firmior nobis videtur eorum ſententia, qui ſtatuunt, ut populi utilitati inſerviat, illum teneri. Ceterum utrum Parochus die Natali Chriſti tres Miſſas pro populo offerre debeat, an muneri

ſuo ſatisfaciat, etiamſi unam tantum applicet; utrum item in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, quibus impoſitum eſt onus offerendi Miſſam pro Benefactoribus in univerſum, etiam plures illas Canonici teneantur offerre, quas facere jubentur certis quibuſdam diebus ex lege Rubricæ, incertum adhuc eſt.

CAPUT V.

De Sacrificio valido & licito.

Quid primo requiritur, ut ſacrificium ſit validum?

R. Requiritur primo loco, ut Sacerdos, qui illud offert, rite, legitime, & valide ſit ordinatus.

Si quis canonico defectu impeditus ad Ordines ſuſcipiendos accedat, eſtne valide conſecratus?

R. Valida utique ejus ordinatio eſt. Si tamen Epiſcopus ante ordinationem edixerit, ſibi non eſſe intentionem ordinandi eum, qui cum hujuſmodi impedimento accedat, tunc, modo intentionem inter ordinandum non revocet, invalida eſt ordinatio ejus, qui Canonico impedimento laborat. Atque ita cenſuit S. Congregatio, tum quæ habita eſt X. Cal. Febr. 1586. cujus decretum exſtat apud Fagnanum ad cap.

cap. *tua literæ*, n. 15. de Cler. per ſalt. prom. tum quæ habita eſt Idibus Febr. 1682. in cauſſa Carchien. ordinationis. Quod ſi vel clara defuit probatio contrariæ intentionis in Ordinante, vel dubitari potuit, num aliquo modo fuerit revocata, S. Congregatio cenſuit, iterandos eſſe Ordines *ſub conditione*.

Quotuplex eſt intentio?

R. Vulgo triplex eſt apud Theologos intentio. *Habitualis*, quæ non influit in actum, ut cum quis ebrius, aut incogitans id agit, quod agere conſuevit. *Actualis*, quæ eſt præſens quædam applicatio animi & attentio ad id, quod fit, & fieri vult. *Virtualis*, quæ eſt continuatio quædam *actualis*, nunquam eſt intermiſſa per contrariam intentionem.

Quænam intentio eſt optima in Ordinatione?

R. Communis Theologorum ſententia eſt, omnium optimam in Sacramentis, ideoque in Ordinatione *actualem* intentionem eſſe; *virtualem* ſufficere, *habitualem* vero non item. D. Thomas P. 3. q. 64. a. 8. ad 3. ait, intentionem *habitualem* ſufficere ad perficiendum Sacramentum: ſed ſciendum eſt, ea ætate apud

Theologos nullum fuiſſe diſcrimen inter *habitualem* & *virtualem*:proindeque cum *habitualem* dicebant, eam intelligebant, quam nos *virtualem* dicimus. Ceterum ſive *actualis* intentio ſit, ſive *virtualis*, debet eſſe intentio faciendi quod facit Eccleſia,juxta id,quod definivit S.Tridentina Synodus ſeſſ.7. can.11.de Sacr.in gen.

Sufficitne intentio tantum externa?

R. Non ſufficit; quamquam ſint qui ſufficere defendant.

Quænam intentio debet eſſe in Ordinando?

R. Eadem, quæ in Ordinante, ſcilicet *actualis*, aut ſaltem *virtualis*,nec externa tantum, ſed etiam interna. Porro etiam qui Miſſæ ſacrum facit, habere debet intentionem hujuſmodi. Nam quemadmodum qui Ordines ſuſcipiat abſque hac intentione invalide ſuſcipit;ſic qui ſine hac ſacrificat, invalide ſacrificat.

Qui metus cauſſa Ordinem ſuſcipit, validene ſuſcipit?

R. Qui cujuſpiam gravis mali metu ad ſuſcipiendum Ordinem adducitur, valide illum ſuſcipit, ſi eligat Ordinem potius ſuſcipere, quam malum ſibi in-

tentatum ſubire. In eo enim voluntas eſt ſuſcipiendi, ſaltem illa, quam vocant *conditionatam*; quod ſatis eſt, ut valide Ordo ſuſceptus fuerit: Non ſuſcipit tamen, ſi metu non obſtante, obfirmato animo neget, ſe velle Ordinem ſuſcipere; & vi adactus, corpore pareat, mente reſiſtat. Nec ille ſuſcipit, qui indifferens eſt, ex opinione in praxi recepta, hoc eſt qui nec ſuſcipiendi, nec non ſuſcipiendi intentionem habet.

Quid ſecundo requiritur, ut validum ſit ſacrificium?

R. *Materia* & *Forma* ſecundo requiritur, ut valide ſacrificium fiat.

Quanam eſt apta materia?

R. *Panis triticeus, & vinum de vite*, ut habet decretum Eugenii IV.

Panis ex tritico, cui hordeum, aut fruges aliæ immixtæ ſint, eſtne apta materia?

R. D. Thomas P. 3. q. 74. a. 3. ad 3. docet, ſi multo major ſit quantitas tritici, materiam aptam eſſe; ſecus, ſi minor ſit, aut æqualis, aut quaſi æqualis.

Quod

Quod vinum in Miſſa eſt adhibendum?

R. Optimum. Indecorum enim eſt, in Miſſa deterius adhiberi vinum, quam quod in profanis menſis adhibetur. Ceterum docet D. Thomas, aptam non eſſe Sacrificii materiam vinum, cui tanta aquæ quantitas permixta fuerit, quæ vini naturam corrumpat, ſpeciemque ſolvat. Itaque periculo ut occurratur, quædam Eccleſiæ parvo cochleari aquam in calicem immittunt.

Quid ſi aut aqua, aut alius liquor in calicem conſecratum infundatur?

R. Quidam exiſtimant, ceſſare Sacramentum, ſi tanta vis aquæ vino conſecrato immittatur, ut ſubſtantia vini ſit immutata; ſecus, ſi vino conſecrato addatur aliud vinum, ſive majore, ſive minore menſura, ſive generoſius, ſive æque generoſum. D. Thomas P. 3. q. 83. a. 6. ad 4. generalem ſtatuit regulam hujuſmodi: *Nullo modo debet aqua vino jam conſecrato miſceri, quia ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte*. Innocentius III. in cap. *cum Martha*. paragr. *quæſiviſti*, de celebr. Miſ. ait, ſi vinum non conſecratum vino jam conſecrato infundatur, illud non commiſceri Sanguini, nec in Sanguinem converti, ſed ſpeciebus prio-

ris

ris vini conjungi. Angelicus autem Doctor putat, Innocentium locutum fuiſſe de paucitate vini, aut aquæ, quæ non poſſit in omnes partes diffundi. Si enim diffundatur, ſtatuit, Sacramentum remanere non poſſe. Utcumque ſit, Græci poſt conſecrationem vini aquam calidam, ut alibi diximus, immittunt; & allatis in Concilio Florentino ab ipſis rationibus Eugenius IV. acquievit. Noſtri etiam, cum populo ſub ſpecie vini præbebatur Euchariſtia, vinum non conſecratum identidem, ut poſcebat numerus eorum, qui eſſent communicandi, in calicem *miniſterialem* infundebant, nec ullus unquam veritus eſt, ne Fideles Chriſti Sanguinem non ſuſciperent.

Quaenam eſt forma?

R. Forma conſecrandi panis eſt, ut in Secunda Parte diximus, *Hoc eſt Corpus meum*; vini, *Hic eſt Calix Sanguinis mei.*

Eſtne neceſſaria utriuſque ſpeciei conſecratio, ut verum ſit Sacrificium.

R. Neceſſaria eſt divino jure & præcepto, a cujus obſervatione liberare nemo poteſt. Chriſtus enim Corpus ſuum & Sanguinem æterno Patri obtulit ſub ſpe-

ſpeciebus panis & vini, & ſub iiſdem utrumque exhibuit Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes creabat, iiſque & eorum Succeſſoribus imperavit, ut utrumque offerrent: *Hoc facite in meam commemorationem*.

Siquis alterutram ſpeciem duntaxat conſecraret, conficeretne Sacramentum, & Sacrificium?

R. Utique Sacramentum conficeret, qui panem tantum, aut vinum dumtaxat conſecraret. Forma enim conſecrandi panis neque quoad ſignificatum, neque quoad efficaciam, pendet a forma conſecrandi vini; ideoque Hoſtia, antequam vinum conſecretur, populo adoranda exhibetur. Sed magno ſe peccato obſtringeret, qui hoc faceret. Non conficeret tamen Sacrificium, prout *Miſſa eſt tale Sacrificium a Chriſto Domino inſtitutum*; ideſt repræſentat mactationem victimæ, & ſeparationem Sanguinis a Corpore, quæ fit gladio myſtico, videlicet conſecratione utriuſque ſpeciei.

Sacerdos gravi peccato obſtrictus valide ne conſecrat?

R. Sacerdos valide conſecrat, etiamſi lethalis criminis reus ſit, excommunicatus, vel hæreticus, vel ſchiſmaticus,

aut

aut etiam gradu dejectus, quod definivit Concilium Conſtantienſe ſeſſ.8. c.15. Rationem reddit D.Thomas P. 3. q. 82. a.5. Sacerdos enim non propria virtute Sacramentum conficit, ſed tanquam Chriſti miniſter, ex cujus perſona conſecrat. Non deſinit autem ſervus eſſe Chriſti, etſi malus ſit. Idem docet de Sacerdotibus ſchiſmaticis, excommunicatis, hæreticis, & ſuſpenſis, art.8. Idem etiam probat de gradu dejectis. Poteſtas enim conſecrandi pendet a charactere, qui deleri non poteſt.

Qui ſcelere contaminatus conſecrat, quoties peccat?

R. Peccare, & quidem graviſſime, Sacerdotem ſcelere conſtrictum, nemo eſt qui non fateatur. Utrum vero ſemel, an pluries peccet, in quæſtione eſt. Sotus & alii contendunt, pluries miſerum hunc Sacerdotem peccare, & quod indigne conſecrat, & quod indigne manducat.

Satiſne eſt, ſi Sacerdos gravis peccati ſibi conſcius Contritionis *actum eliciat, antequam ſacrificet?*

R. S. Tridentina Synodus ſeſſ. 13. c. 7. de Euchar. vetat, nequis lethalis culpæ reus, niſi Sacramento Pœnitentiæ ex-

expiatus, ſacrificet; at, ſi gravis neceſſitas urgeat, nec confiteri peccata ſua poſſit, permittit, ut, actu *Contritionis* elicito, ad ſacrificandum accedat. Præſcribit tamen, non jam conſilii loco, ut nonnulli ſomniarunt, ſed præcepti, ut Sacerdos, qui ita celebraverit, quamprimum confiteatur.

Idemne licet etiam Laicis?

R. Nunquam Laicis licet, confeſſione non præmiſſa, ſi forte lethalis peccati rei ſint, ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere.

Quando revera poteſt Sacerdos ad ſacrificandum accedere, ſolo Contritionis *actu ante Sacrificium elicito?*

R. Si Sacerdos Sacrificio abſtinens aut ceteris offenſioni eſſet, aut infamiam incurreret; ſi populus die feſto Miſſa careret; ſi Hoſtia conſecranda eſſet, ut Viaticum ad ægrotum morti proximum deferri poſſet, licet illi, ſolo *Contritionis* actu elicito, ad ſacrificandum accedere. *Contritionis*, inquam: nam *Attritio* ſatis non eſt.

Præ-

Præceptum Confeſſionis præmittendæ eſtne Eccleſiaſticum, an divinum?

R. Divinum; de quo loquitur Apoſtolus: *Probet autem ſe ipſum homo*.

Regulares poſſuntne confiteri peccata ſua Sacerdoti, qui ejuſdem Ordinis non ſit, ſi extra Clauſtra fuerint?

R. Ea eſt inter Regulares lex, ut Superioribus ſuis peccata confiteri teneantur, aut alicui, qui ejuſdem ſit Inſtituti, modo a Superiore fuerit approbatus. Sed plures Ordines privilegio donati fuerunt, ut ſi cum venia Superioris a Cœnobio abſint, nec ullius ex ſuis Confeſſarii ſit copia, poſſint peccata confiteri Sacerdoti cuilibet hac facultate prædito. Soli Cappuccini hoc privilegio carebant, & Conſtitutione quadam Capituli Generalis impediebantur. At ubi primum Benedictus XIV. P. M. ad Summam Apoſtolatus dignitatem evectus eſt, quippe qui ſciret, quantis in anguſtiis interdum hac de cauſſa verſarentur, de illis cogitare cœpit. Quare anno 1742. Literis ſub forma Brevis III. Cal. Apr. cuilibet eorum, ſive Sacerdoti, ſive Converſo, facultatem conceſsit confitendi peccata, & abſolutionem accipiendi a

quo-

quocumque Sacerdote, qui vel ſecularis a ſuo Ordinario, vel regularis a ſuo Superiore ad confeſſiones audiendas ſit approbatus, dum bona cum venia extra Clauſtra morantur, & in locis, ubi non alius quiſquam ex eorum Ordine reperiatur. Quam facultatem etiam ad Caſus extendit juxta Conſtitutionem Ordinis reſervatos, & ad Cenſuras, in quas inciderint; addito tamen onere, ubi primum potuerint, coram Superiore ſe ſe ſiſtendi, & novam ab illis Caſibus & Cenſuris abſolutionem impetrandi: Non quod hoc neceſſe ſit, ſed quod Religioſis perfectionem profitentibus onus illud imponi poſſe putaverit.

Si Sacerdos, cœpta jam Miſſa, ſe peccati reum eſſe, vel non jejunum, vel cenſura aliqua irretitum animadverterit, quid agere debet?

R. S. Thomas P. 3. q. 83. art. 6. ad 2. docet; ſi Sacerdoti in memoriam hæc veniant ante conſecrationem, recedendum illi eſſe ab altari, modo tamen abſit metus ſcandali. Si hoc illi contingat poſt conſecrationem, omnino eum debere ait ſacrificium perficere, actu *Contritionis* elicito. Quod ſi, dum ſacra facit, peccatum illi in mentem veniat, quod ita cordi hæreat, ut ejus pœnitere non poſ-
, debere illum ſacrificium abrumpere,
do-

docet Sotus 4. Sent. diſt. 3. q. 2. art. 6.
etiamſi ſcandalum oriri poſſit.

Quid ſi Sacerdos Miſſam peragat in remoto aliquo loco, ubi nullus adſit, niſi miniſter?

R. Pontas in Dictionario Caſuum Conſcientiæ, verbo *Miſſa*, Caſ. 22. ait, ideo Sacrificium intermittere Sacerdotem non poſſe, ne miniſter ſcandalum patiatur. Sed Clerus Patavinus in Deciſ. anni 1707. quæſ. 2. menſis Maji contrariam tuetur ſententiam, præſertim ſi miniſter puer ſit, vel Sacerdotis ſervus, aut amicus.

Si Sacerdos ſciens & prudens peccaverit, quamvis culpa liberatus, poteſtne die proximo ſacrificare?

R. Clemens VIII. in Inſtructione ſuper aliquibus Græcorum Ritibus, quæ incipit, *Presbyteri Græci*, ita ait: *Presbyter Græcus conjugatus ante ſacrum ſacrificium, ſeu ſanctam Miſſam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abſtineat ab uxore.* Ex quo colligitur, ſi non licet Sacerdoti Græco ſacrificare, qui proxima nocte cum uxore concubuerit, multo minus licere aliis Sacerdotibus, niſi gravis neceſsitas urgeat, ſacrum peragere, ſi præcedenti nocte peccatum aliquod carnis commiſerint,

et-

etiamſi liberati per *Confeſſionem* a culpa fuerint. Rationem reddit D. Thomas P. 3. q. 80. art. 7. quod per *Contritionem* & *Confeſſionem* culpa quidem deleatur, non tamen corporis immundities aboleatur. Ad alia peccata quod attinet, docet idem D. Thomas in 4. ſent. diſt. 9. q. 1. ar. 4. hujuſmodi Sacerdotem, niſi magna neceſsitas urgeat, debere *per aliquod tempus* a ſacrificio abſtinere. Caveant vero hujuſmodi Sacerdotes, ne ſacrificent iis videntibus, qui ejus peccati ſint conſcii. Sotus enim in 4. ſent. diſt. 12. q. 1. ar. 7. eos graviter fortaſſe peccare, docet.

Si cui præter voluntatem, & citra peccatum pollutio contigerit, quid agendum illi eſt?

R. Si quod turpe phantaſma adhuc illi animo obverſetur, ſi mentem hujuſmodi cogitatio diſtrahat, ſi nulla ad ſacra facienda eum neceſsitas cogat, decet illum Euchariſtia abſtinere. Sylvius P. 3. q. 80. ar. 8. In ſpeculo Monachorum, Arnulpho Monacho auctore, inter Opera D. Bernardi nuperrimæ editionis tom. 2. pag. 818. ſeveriora hæc traducuntur a Sacerdote ad miniſtrum: *Si per noctem illuſio tibi acciderit, ne contriſteris, ſed in craſtinum confitere, & aliquo te invitante, ut Miſſæ inſervias, caute coram omnibus te excuſa.*

Quid

Quid ſi Dæmonis opera pollutio contingat?

R. Abulenſis in c. 5. Matth. q. 226. & ante Abulenſem Abbas Theonas apud Caſsianum, ait, Diabolum interdum, ut pium hominem a ſumenda Euchariſtia, vel a Miſſa retrahat facienda, per ſimplicem vaſorum ſeminalium motum, quin ullam excitet tentationem, pollutionem illi prolicere. Non tamen idcirco omittenda Communio eſt, aut Miſſa, ut docet D. Thomas loco cit. ar. 7. quocum ſentit Card. Turrecremata in Can. *Teſtamentum* diſt. 6.

Sacerdos debetne eſſe jejunus, ut licite ſacrificet?

R. Etſi Apoſtoli jejuni non eſſent, cum Euchariſtiam acceperunt, tamen in honorem & cultum tanti Sacramenti ab Apoſtolicis uſque temporibus ſtatutum fuit, ut nemo, niſi jejunus, ad ſacrificandum accederet.

A qua hora debet eſſe jejunus?

R. A media nocte. Obſervatione dignum eſt, quod ineunte ſeculo undecimo, cum nondum per horologia nocturnæ horæ indicarentur, ſtatuit Synodus Salegunſtadienſis, ne quiſquam, qui bi-

biſſet poſt galli cantum, ſacrificaret, tum æſtate, tum hyeme, etiamſi hiberno tempore galli cantus mediam noctem non recte indicet.

Quid ſi Sacerdos jejunus non dormierit?

R. Poteſt Sacerdos ſacrificium facere, licet, cibo ante mediam noctem ſumto, non dormierit, nec cibum concoxerit, dummodo inde non extiterit aliqua mentis perturbatio. Nam ſi mens turbata ſit, abſtinere ſacrificio debet, juxta D. Thomæ doctrinam P. 3. qu. 80. ar. 8. ad 5.

Daturne parvitas materiæ in hoc naturali jejunio.

R. Paſqualigus in Praxi jejunii deciſ. 440. & Gibertus Conſult. Canonic. de Sacram. Conſult. 14. de Euchar. locum eſſe putant parvitati materiæ in hoc naturali jejunio, ita ut nonniſi leviter peccet, qui poſt mediam noctem ſciens & prudens pauxillulum comederit, & poſtero die ad Sacramentum ſuſcipiendum accedat, aut ſacrificet. Sed præterquam quod ſingularis hæc ſententia exploſa ab omnibus eſt, aliter omnino præſcribente Miſſalis Rubrica, tum in Can. *Nihil.* 7. qu. 1. excommunicationis pœna irrogatur illis, qui aliter fe-

ce-

cerint. Porro cum hujuſmodi pœna non niſi peccato gravi infligatur, dicendum eſt, eum graviter peccare, qui poſt pauxillulum cibi, aut potus ſumtum Eucharistiam ſuſcipiat.

Qui die Natali Chriſti poſt primam Miſſam imprudens os vino abluerit, poteſtne alteram & tertiam peragere?

R. Fuere qui ita crederent, doctrina D. Thomæ innixi de non intermittenda Miſſa, ſi Sacerdoti poſt conſecrationem in mentem venerit, ſe non eſſe jejunum. Sed D. Thomas, Miſſam non eſſe abrumpendam, non aliam inchoandam docet. Nec vero ullum ſcandalum oritur, ſi notum fiat, Sacerdotem a duabus reliquis Miſſis abſtinere, quod imprudens os vino abluerit.

Si cibi reliquiæ dentibus, aut gutturi hærentes poſt mediam noctem deglutiantur, rumpuntne jejunium?

R. Rubrica Miſſalis docet, reliquias, quæ dentibus, aut gutturi adhæſerint, ſi imprudenter deglutiantur poſt mediam noctem, jejunium non rumpere, quia tunc non cibi, ſed ſalivæ rationem habent. Qui vero ſciens ac prudens hujuſmodi reliquias deglutiret, jejunium

ſolveret, ut Cardinali de Lugo videtur, de Sacr. Euch. diſp. 15. ſect.2. n.36. quod alii negant, cum illud cœnæ potius complementum dicendum ſit, quam nova comeſtio. Idem dicito, ſicui mane, dum ſibi os lavat, per imprudentiam gutta aliqua aquæ in ſtomachum prolabatur. Quod nititur doctrina S.Thomæ P.3.qu.80.ar.8.ad 4.S.Antoninus P.3.tit.3.c.7. paragr.8. docet, eum jejunium non frangere, qui lingua aliquid deguſtet, ut ſaporem probet, nec deglutiat,ſed ſtatim exſpuat.Qui vero ante ſomnum aliquam ſaccari particulam ſibi in os injiceret, quod paullatim liqueſcens in ſtomachum delaberetur, is profecto jejunium ſolveret,vel ſolviſſe credendus eſt.

Qui dubius eſt, an ſit jejunus, poteſtne Euchariſtiam ſumere?

R. Si dubitat, quoquo modo dubitet, debet abſtinere. Nam in dubiis tutior pars eligenda eſt.

Sacerdos, qui ſciat, ſe jejunum non eſſe, accerſitus ad ſacrificandum, ut Viaticum ægroto deferri poſſit, debetne ſacrificare?

R. Non debet. Neque enim ægrotus tenetur præcepto ſuſcipiendi Euchariſtiam, quando illi Euchariſtiæ copia deſit.

ſit. Deeſſe autem dicenda eſt, quoties illam juxta ritum Eccleſiæ ſuſcipere non poteſt.

Quid præterea ſervare debet Sacerdos, ut licite ſacrificium faciat?

R. Sacerdos, ut licite ſacrificet, non ſolum immunis eſſe debet a gravi culpa, & jejunus, ſed etiam ab omni cenſura, & irregularitate liber, & ſi Latinus ſit, in azymo conſecrare. Præterea habeat oportet ſacras veſtes, Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam, Calicem cum Patena, & Miſſale. Sacrificet oportet in templo, vel in oratorio ab Ordinario approbato, niſi forte in aliqua ex illis neceſſitatibus verſetur, quas ſupra explicuimus. Tunc enim etiam extra templa & oratoria ei ſacrificare licebit. Neceſſe eſt etiam, ut altare conſecratum ſit, aut ſaltem in eo ſit Petra ſacra, nec ornamenta deſint altaris, Lintea, Crux, Candelæ, & intra præſcriptum tempus Miſſa fiat, hoc eſt ab aurora uſque ad meridiem, ut ſuperius docuimus. Non celebret ſine miniſtro, niſi ea neceſſitas urgeat, quam ſupra tradidimus. Denique, ſi exterus Sacerdos ſit, non celebret, niſi facta ſibi poteſtate ab Ordinario illius Diœceſis, in qua ſacrificare velit. Poſtremo ea omnia

ſervet, quæ in Rubricis Miſſalis præſcribuntur.

Qui ſacrificat in altari, unde Crux abſit, leviterne, an graviter peccat?

R. Averſa de Sacrif. Miſ. q. 11. ſect. 3. putat, eum graviter peccare. Sed communis ſententia eſt, eum nonniſi in levem culpam incidere, ut videre eſt apud Meratum tom. 1. pag. 297.

Validene conſecraret Sacerdos, qui ſuper panem & vinum menſæ appoſita, ſine veſtibus ſacris, ſive cæremoniis, ſive precibus, conſecrationis verba proferret?

R. Illicite quidem, ſed valide conſecraret. Conſecratio enim panis & vini in Chriſti tantum verbis conſiſtit; non in Eccleſiæ etiam cæremoniis & precibus, ut alii exiſtimarunt.

Quomodo Miſſa eſt recitanda?

R. Eas preces, quæ dicuntur elata voce, Sacerdos debet recitare *diſtinctè & appoſite, non admodum feſtinanter, ut advertere poſſit, quæ legit; nec nimis moroſe, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortaſſe in eadem Eccleſia tum temporis*

poris celebrant; neque tam ſubmiſſa, ut a circumſtantibus audiri non poſſit; ſed mediocri & gravi, quæ devotionem moveat, & audientibus ita ſit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant; ac ſecretas ita debet exprimere, ut & ipſemet ſe audiat, & a circumſtantibus non audiatur. Sunt verba Rubricæ. Qui legerit caput 12. p.2. de ſtudiis Monaſticis Mabillonii, is intelliget, quam graviter peccent Sacerdotes, qui preces Miſſæ aliter recitant.

Peccantne graviter, qui Rubricas non ſervant?

R. De præcepto obſervandi Rubricas Miſſalis fuſe ſcripſit Gavantus in quæſtionibus proœmialibus, ubi oſtendit, vehementer eos falli, qui Rubricas putant eſſe meras Inſtructiones & Conſilia. Et ſane Rubricæ leges ſunt præcipientes, & mortale peccatum *ex genere ſuo*, ut loquuntur Theologi, ii committunt, qui illas non ſervant; modo invincibilis imprudentia non ſit, aut materiæ parvitas non excuſet.

Standumne eſt Rubricis etiam in eo, quod præcipiunt, Matutinum cum Laudibus ante Miſſam dicendum eſſe?

R. Alia ex Rubricis, quæ hoc præſcribunt, exſtat in c. 1. de Ritu ſer-

vando in celebr. Miſ.alia in capite de defect.in celebr.Miſ. occurr. alia denique in Sacerdotali Romano cap. 80. Mira partium contentione agitata quæſtio fuit, num graviter, an leviter peccet, qui,non dicto prius Matutino & Laudibus, ſacrificet.Qui falſum illud principium ſequuntur, Rubricas conſilii tantum vim habere, non legis, non peccari contendunt. Qui conſentiunt, Rubricas pro lege habendas eſſe, in eo differunt, quod alii Matutini & Laudum omiſſionem ante Miſſam materiam gravem arbitrantur, alii levem; ex quo fit, ut illi graviter, at hi leviter peccari ab eo,qui hæc omittat, defendant. Nos vero ita ſentimus: Si ſermo ſit de Miſſa *Conventuali*, videtur peccare graviter, qui eam ante Matutinum & Laudes celebrat. Id enim eſt contra totius Eccleſiæ conſuetudinem. In Miſſis vero privatis, ſi qua ſit legitima cauſſa, puta, ſi Princeps, aut Prælatus Miſſam expetat, aut Sacerdos gravibus & neceſſariis charitatis officiis impediatur,videri poteſt a peccato etiam levi immunis.Si vero abſit cauſſa,perdifficile videtur,ne levi quidem peccato non eſſe locum,ut obſervat Meratus tom. 1.p.2.pag. 799. Quod ſi quis, nulla cauſſa urgente, perpetuo id faceret,ut videretur quaſi ſtatuiſſe animo, nunquam ſacrificare, dicto Matutino & Laudibus, tum cum quinque

&

& quinquaginta Auctoribus, quos ſententiæ ſuæ ſuffragatores affert Clericatus deciſ. 50. de Sacriſ. Miſ. & ex rationibus ab ipſo adductis concludi poſſet, graviter hujuſmodi Sacerdotem peccare. Sunt tamen Concilia aliquot Provincialia, quæ, excommunicationis pœna ſancita, vetant, nequis Sacerdos, non recitatis Matutino & Laudibus, ſacrum Miſſæ faciat. Sed ea ſanctione non niſi ille tenetur, qui Synodis illis eſt ſubjectus.

CAPUT VI.

De occaſione Sacrificii abrumpendi.

Poteſtne quis cœptam Miſſam ſine legitima cauſſa ante conſecrationem abrumpere?

R. **A**Pertiſſime id vetat Canon *Nullus Epiſcopus* de conſecr. diſt. 1. ubi hæc habentur: *Cum vero ingreſſus fuerit Epiſcopus, aut Presbyter ad Miſſarum ſolemnia celebranda, niſi paſſio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Epiſcopo, vel Presbytero Miſſarum ſolemnia ſuppleantur; ſed qui initium ponit, ſuppleat uſque ad finem; quia ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Et Can. *Nihil* 7. q. 1. *Nullus Sacerdos, cum cœperit, officia imperfecta præ-*

ſumat omnino relinquere. Priore Canone pœna ſuſpenſionis imponitur : *Siquis vero præſumſerit, præter quod poſuimus, agere, a ſacro corpore & ſanguine D. N. J. C. ſit ſuſpenſus*. Poſteriore pœna excommunicationis : *Siquis hac temerarie præſumpſerit, excommunicationis pœnam ſuſtinebit*.

Hujuſmodi pœnæ ſuntne latæ ipſo jure, *an ferendæ ſententiæ?*

R. S. Congregatio ſemel atque iterum reſpondit, eas pœnas non eſſe impoſitas *ipſo jure*; nec locum iis eſſe, ſi Sacerdos ante Conſecrationem ab altari recedat; puniendum tamen ab Epiſcopo ſalutaribus pœnitentiis eum, qui cœptam Miſſam non legitima de cauſſa intermiſerit, v. gr. ex impatientia, quod ſæpe contigit.

Si Sacerdos vel morte, vel animo deficiente Miſſam intermittere coactus fuerit, quid agendum?

R. D. Thomas P. 3. q. 83. ar. 6. docet, ſi hoc ante conſecrationem contingat, non oportere Miſſam ab alio perfici; ſi vero facta ſit conſecratio corporis tantum, aut Corporis & Sanguinis, perficiendam eſſe Miſſam ab alio.

Qui

Qui cœptam ab alio Miſſam perficit, quomodo ſe gerere debet?

R. Miſſalis Rubrica præſcribit, ut Sacerdos, qui Miſſam ab alio cœptam perficit, inde initium ſumat, ubi Sacerdos primus deſierit; ac ſi Sacerdos infirmus adhuc vivat, & ſuſcipiendo Sacramento ſit idoneus, nec alia adſit Hoſtia conſecrata, Hoſtiam dividat, cujus alteram partem ipſe ſumat, alteram infirmo tribuat. Tum hæc, tum doctrina D.Thomæ ſupra allata, nituntur Can. *Nihil*. 7. q.1.

Peccatne graviter qui Miſſam imperfectam non perficiat, cum poſſit?

R. In citato Canone dicitur, *ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri conſecrationem exequi officii cœpti*. Sed ea vox *liberum* ſignificat in promtu ſit, quod nihil ſit abſurdum, ſi alter alterius Miſſam perficiat, unumque & idem Sacrificium a duobus Sacerdotibus exiſtat. Quod facile oſtendunt verba Canonis ejuſdem: *Cum ſimus omnes unum in Chriſto, nihil contrarium diverſitas perſonarum format*. Porro qui Miſſam ab alio cœptam abſolvere nollet, peccaret, quia minus curare videretur Sacrificii integritatem, unde tantus in Deum honor redundat.

Quis tenetur Miſſam perficere?

R. Sacerdos; &, ſi Sacerdos reperiri non poſſit, & adſit Laicus, quamtumvis paratus, & bene diſpoſitus ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, non poteſt ſumere Hoſtiam conſecratam, multoque minus Sanguinem. Quod ſi eveniat, Hoſtia & Calix in tabernaculo ſunt condenda. Ex Sacerdotibus vero primum hoc munus obire debet, qui adeſt; deinde is, qui abeſt; primum is, qui nullo, deinde is, qui aliquo detinetur impedimento.

Eſtne impeditus, qui non eſt jejunus?

R. Ita: ſed tenetur ſacrificium perficere, ſi alterius Sacerdotis non impediti opera deſit, ut Rubrica præcipit. Perficiendi enim ſacrificii præceptum eſt divinum; jejunii autem eſt eccleſiaſticum.

Qui peccati reus eſt, poteſtne perficere?

R. Hujuſmodi Sacerdos tenetur confiteri peccata ſua, aut, ſi Confeſſarium fruſtra quæſierit, debet actum *Contritionis* elicere, & ad perficiendum ſacrificium accedere. Quod ſi hunc actum

Con-

Contritionis non poſſit elicere, eum non teneri cum Soto dicimus. Nemo enim ad peccandum cogi poteſt; tumque ſervandum eſt, quod, deficiente Sacerdote, ſervari debere præſcripſimus.

Si ante conſecrationem Miſſa abrupta fuerit, debetne perfici?

R. Docuimus ſupra ex D.Thoma, Miſſam ante conſecrationem abruptam perfici non oportere; quod Rubrica etiam præſcribit: *Si Sacerdos ante conſecrationem graviter infirmatur, vel in ſyncopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa.*

Quid ſi Sacerdos non totam conſecrationis formam protulerit?

R. *Si autem, ſemiprolata forma corporis, obiit Sacerdos, quia non eſt facta conſecratio, non eſt neceſſe, ut Miſſa per alium ſuppleatur.* Sunt verba Rubricæ. Quod ſi Sacerdos obierit poſt conſecrationem corporis, antequam integram protulerit formam conſecrandi Sanguinis, Rubrica præcipit, ut alius Sacerdos Miſſam perficiat, vel ſuper eumdem Calicem proferens integram formam, ſumto initio ab illis verbis, *Simili modo, poſtquam cœnatum eſt*; vel proferens integram formam ſuper alium Calicem iis, quæ opus ſunt, inſtru-

ctum ; deinde ſumat Hoſtiam ab alio conſecratam , & Sanguinem à ſe conſectum , ſubindeque ſemiconſecratum Calicem hauriat , quem Sacerdos morbo correptus ſemiconſecratum reliquit . Innocentius III. volebat , ut conſecrata Hoſtia ſeponeretur , & rurſus alia cum Calice conſecraretur ; ſed D. Thomas in 4. ſent. diſt. 8. q. 2. a. 4. non opus eſſe ſtatuit . Cujus ſententiam amplexus eſt Clerus Patavinus anno 1708. menſe Julio . Quo in loco addit , niſi certum & exploratum habeatur , Hoſtiam eſſe conſecratam , non ſatis eſſe proferre formam conſecrationis , ſed incipiendum ab iis verbis , *Qui pridie , quam pateretur* ; temetſi negari non poſſit , conſultius eſſe , ab initio Canonis incipere . In conſecratione autem Calicis , ſi Sacerdos e vita exceſſerit antequam integram formam protulerit , monet incipiendum eſſe ab illo loco , *Simili modo* , quemadmodum jubet etiam Rubrica . Si denique conſtet , utramque ſpeciem fuiſſe conſecratam , ſed incertum , quantam in parte Miſſæ Sacerdos fuerit morbo correptus , debere eum ait , qui perficit , incipere ab iis verbis , *Unde & memores ſumus* .

Si

Si templum violetur, aut polluatur, dum Sacerdos ſacrificat, debetne ſacrificium intermittere.

R. In Rubricis docemur, ſi violatio templi, aut pollutio contingat ante Canonem, ſacrificium intermitti debere; ſi vero poſt Canonem, perfici.

Quid ſi Sacerdoti ſacrificanti nuncietur, prope eſſe hoſtes, vel alluvionem, vel templi, aut oratorii ruinam imminere, a quibus ſibi mortem Sacerdos timeat?

R. Hæc ſi ſacrificanti Sacerdoti nuncientur ante conſecrationem, Miſſam debet abrumpere; at ſi poſt conſecrationem, debet, ceteris omiſſis, Corpus & Sanguinem ſumere. Commentitium eſt, quod aliqui opinantur, Sacerdotem, ſi non poſſit ſumere, debere ſecum tectum Sacramentum clanculum aſportare. Minus enim opus eſt temporis ſumendo Sacramento, ceteris omnibus omiſſis, quam contegendo, & eo, quo decet, modo aſportando.

Quid ſi conſecrata Hoſtia, nondum tamen Calice, ſuperveniat mortis periculum ex iis, quæ modo expoſuimus?

R. Durum videtur Quarto, Sacerdotem

tem in ejuſmodi tumultu ad conſecrandum etiam Calicem teneri. Cum eo etiam conſentit Toletus; qui tamen monet, Sacerdotem teneri ad Miſſam perficiendam etiam vitæ periculum ſubeundo, ſive conſecraverit, ſive non conſecraverit, ſiquis Chriſtianæ Religionis hoſtis in ejus contemtum mortem Sacerdoti minitaretur, niſi Miſſam abrumperet. Suarez in P. 3. D.Thomæ tom.3. q.74. a.2. diſp.43. ſect.4. diſerte ait, Sacerdotem, qui Hoſtiam conſecraverit, nec ipſi tempus ſuppetat vini conſecrandi, poſſe, ſeſe ut ſubripiat mortis periculo, Hoſtiam ſumere; dummodo tamen nullum ſcandalum oriturum ſit, nec Religio in contemtum cadat. Si enim tale aliquod periculum ſit, non modo ex præcepto integritatis ſacrificii, ſed etiam ex obligatione profitendæ fidei, & ſcandali vitandi, Sacerdotem teneri Miſſam perficere defendit.

Quid ſi, dum fit ſacrificium, ingrediatur templum excommunicatus?

R. Si excommunicatus jam talis declaratus ſit, vel ſit notus Clerici percuſſor, coram eo ſacrificium fieri non poteſt, Can. *Is, qui*, de ſent. excom. in 6. Itaque ſi is templum ingrediatur, Miſſa jam cœpta, admonendus eſt, ut templo abeat, ac, ſi fieri poteſt, etiam pellendus, quod expreſſe jubet Clement.

ment. 2. de ſent. excom. & ſiquidem ejici non poſſit, & nondum ad Canonem perventum ſit, ſeu, ut quidam volunt, ad conſecrationem, Miſſa eſt intermittenda, ſi vero eo jam eſt perventum, abſolvenda eſt; Facta autem communione, reliquum Miſſæ, ſi excommunicatus non abierit, perficiendum eſt in Sacriſtia, aut in alio appoſito loco, ut communiter docent Auctores.

Eſtne cur debeat Miſſa laudabiliter interrumpi, nulla ex allatis cauſſis urgente?

R. Si habendus ſit ad populum ſermo, aut quædam ei ex præſcripto Canonum edicenda, lecto Evangelio, interrumpi Miſſa poteſt. Sylvius P.3. q. 83. a.6. quæſit.3. ait, Miſſam poſſe intermitti, ſi moriturus infans ſit baptizandus; vel ſiquis inibi ſit, ut ſine confeſſione moriatur; vel ſi extrema Unctione morti proximo opus ſit, cui nullum aliud Sacramentum poſſit adminiſtrari; quæ omnia ceteri omnes admittunt. Quartus ad Rubricas Miſſalis P. 2. tit. 3. ſect. 3. c. 3. docet, gravi urgente neceſſitate adminiſtrandi ejuſmodi Sacramenta, Miſſam, ſive ante, ſive poſt conſecrationem, poſſe interrumpi; & ſiquidem facta ſit conſecratio, debere Sacerdotem diligentiſſime curare, ut Sacramentum cuſtodiatur; (niſi forte conſul-

ſultum melius exiſtimaverit, illud in tabernaculo occludere) & poſtquam redierit, Miſſam inde, ubi eam intermiſerit, repetere.

Sacerdos qui pervenerit ad Offertorium, poteſtne inceptam Miſſam rurſus ab initio repetere, ſi aliter populus, aut Princeps, aut Prælatus Miſſa careat?

R. Azorius Inſt. moral. tom. 1. lib. 10. c. 32. q. 3. putat, intermitti poſſe Miſſam, & ab initio repeti, id ſi Vir primarius poſtulet: nomine autem viri primarii, ut explicat Pontas, intelligitur Cardinalis, Epiſcopus, ac Princeps loci, in quo celebratur. Negant alii, inter quos Natalis Alexander Theol. Dogm. & Moral. l. 2. de Sacram. Euch. c. 7. a. 4. *quia ordo ſacrificii potior eſſe debet, quam hominum quavis dignitate conſpicuorum commoda, tum quia via pateret abuſui*. Affert etiam Mediolanenſe Concilium, quod aperte id vetat.

CA-

CAPUT VII.

De defectibus, qui in Miſſa occurrunt, eorumque remediis.

Si Hoſtia corrupta ſit, vel non triticea, quid agere debet Sacerdos?

R. Rubrica præſcribit, quid agere eum oporteat. *Si Celebrans ante conſecrationem adverterit, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remota illa Hoſtia, aliam ponat, & facta oblatione, ſaltem mente concepta, proſequatur ab eo loco, ubi deſivit. Si id adverterit poſt conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumtionem, poſita alia, faciat oblationem, ut ſupra, & a conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis, Qui pridie, quam pateretur; & illam priorem, ſi non ſumſit, ſumat poſt ſumtionem Corporis & Sanguinis, vel alii ſumendam tradat, vel alicubi reverenter conſervet. Si autem ſumſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit, quia præceptum de perfectione ſacramenti majoris eſt ponderis, quam quod a jejunis ſumatur. Quod ſi hoc contingat poſt ſumtionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis & vinum cum aqua, &, facta prius oblatione, ut ſupra, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie; ac ſtatim ſumat utrumque,* &

& proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ſervetur ordo.

Si Sacerdos acetum, aut quemvis alium liquorem pro vino in Calicem infuderit, quid agere debet?

R. Si Sacerdos id advertat ante conſecrationem Calicis, *debet ſtatim apponere novum vinum cum aqua, &, facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, incipiendo ab illis verbis, Simili modo.* Hæc ſunt verba Rubricæ, quæ jubet idem fieri, ſi Sacerdos defectum adverterit, poſtquam conſecrationis verba ſuper ineptam materiam protulerit.

Quid ſi Sacerdos adverterit defectum poſt ſumtionem Corporis, vel etiam materiæ ineptæ?

R. Diſputant hac de re Theologi. Sed D. Thomas cum aliis diſerte docet P. 3. q. 83. a. 6. ad 4. non ſatis eſſe novum vinum, ſed opus eſſe novam quoque Hoſtiam conſecrare. Hanc doctrinam exponit Sotus in 4. ſent. diſt. 24. q. 1. a. 16. Addit tamen, novum vinum tantum poſſe conſecrari, ſi plures adſint; ad evitandum ſcandalum. Quam Soti ſententiam amplexus eſt Clemens VIII. & in Rubricam inſeruit.

Quid

Quid ſi defectus reperiantur in utraque materia panis & vini?

R. Si Sacerdos id advertit ante conſecrationem, afferri ſibi jubeat materias idoneas, quæ ſi non reperiantur, Miſſam omittat. Si vero id advertit poſt prolata conſecrationis verba, quia invalida eſt conſecratio, omittat pariter Miſſam. Nihil enim egit, nec quidquam propterea eſt, quod perfici oporteat. Si autem id adverterit poſt ſumtionem utriuſque materiæ invalide conſecratæ, cum jam jejunus non ſit, neque neceſsitate urgeatur ad ſacrum Miſſæ faciendum, recitet ad vitandum ſcandalum orationes, quæ *Communionem* conſequuntur, omiſsis iis verbis, quæ Sacramenti perceptionem ſignificant, ac, facta Benedictione ad populum, legat Evangelium S. Joannis. Sed, quia id Sacerdoti multum negotii faceſſeret, conſultius eſt, Miſſam omittere, niſi forte multitudo adſit Miſſæ audiendæ gratia. Tum enim poſſet ſubmiſſa voce Sacerdos preces aliquas recitare, quæ ad Miſſam non pertinerent, & benedictionem populo impertiri, quæ immixta extraneis precibus non amplius eſſet pars Miſſæ.

Si

Si aqua in Calicem non eſt immiſſa, quid agere Sacerdotem oportet?

R. Si id animadverterit Sacerdos ante conſecrationem Calicis, ſtatim aquam in Calicem infundat. Si vero poſt conſecrationem, Miſſam proſequatur. Aqua enim non eſt *de neceſſitate*, & ſine illa Sacrificium conſtat. Vide Rubricas.

Quid ſi venenum Sacerdos deprehenderit, vel muſca, aut aranea in Calicem ceciderit?

R. Habet remedium a D. Thoma P. 3. q. 83. a 6. ad 3. *Si muſca, vel aranea in Calicem ante conſecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit eſſe immiſſum, debet effundi, &, abluto Calice, denuo aliud vinum poni conſecrandum. Si vero aliquid horum poſt conſecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in Sacrarium mitti. Si vero venenum ibi deprehenderit eſſe immiſſum, nullo modo debet ſumere, nec alii dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem, ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum reliquis conſervari. Et, ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in Calicem, & denuo reſumere a conſecratione Sanguinis, & ſacrificium perficere*. Hanc in rem vide etiam Rubricam.

Poſ-

Poſſuntne alii Caſus contingere?

R. Alii Caſus, qui poſſunt contingere, continentur in Rubricis, quo Lectores remittimus.

Validane eſſet conſecratio, ſi Sacerdos vocem enim *omitteret?*

R. Conſecratio eſſet valida, ſed illicita; ſiquidem illam ſciens & volens omitteret. Ea enim vox conjungit verba conſecrationis cum præcedentibus,& ex antiqua Romanæ Eccleſiæ conſuetudine in conſecrationis formam injecta eſt, juxta D. Thomæ Doctrinam P. 3. q. 78. a. 2. ad 5. Idem dicendum de voce *eſt*.

Quid ſi pro Hoc *dicatur* Iſtud?

R. Valida eſt, ſed illicita conſecratio. Secus vero, ſi diceretur *Illud*. Non ſolum enim illicita eſſet, ſed etiam invalida. Nam *Iſtud* rem præſentem ſignificat; *Illud* remotam.

Quid, ſiquis diceret: Hic eſt Corpus meum, *ut* Hic *adverbium eſſet?*

R. Invalida eſſet conſecratio. Non enim exprimeretur *Tranſubſtantiatio*. Secus

cus autem, ſi per Grammatices errorem diceretur *Hic* pro *Hoc*.

Siquis proferat verba, Hic eſt Calix Sanguinis mei, *ac*, *ceteris omiſſis*, *orationem connectat cum illis*, Hæc quotieſcumque &c. *eſtne conſecrata vini ſpecies?*

R. Quemadmodum certiſſimum eſt, graviſſimum peccatum Sacerdotem committere; ita ſatis exploratum non eſt, propter gravem, quæ adhuc viget, controverſiam, conſecrata ſit, an non, vini ſpecies. Quapropter Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. l. 2. de Sac. Euch. c. 1. a. 4. reg. 3. docet, ſuper novum vinum iteranda fore *ſub conditione* conſecrationis verba omnia & ſingula, ut ſunt in Canone. Ceterum religioſa veneratione Sacerdoti ſumendam eſſe ſpeciem, ſuper quam protulerit ſola verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei.* Majus enim eſſe periculum in contemtu ſpeciei conſecratæ, quam in veneratione ſpeciei non conſecratæ, quæ tamen bona fide conſecrata exiſtimatur.

Si Sacerdos dubitet, ſe aliquid omiſiſſe, quid faciendum illi eſt?

R. D. Thomas P. 3. q. 83. a. 6. ad 5. ut omnes evellat ſcrupulos, qui interdum Sacerdotis animo oboriuntur,

cum

cum ſcilicet dubitat, an aliquid omiſerit, monet eum, qui attente perſequitur animo ea, quæ dicit, etiamſi non recordetur, ſe dixiſſe quæ dicenda ſunt, ne turbetur animo, ſed Miſſam proſequatur. Monet etiam illum, ſi probabiliter ſciat, ſe aliquid omiſiſſe, ut idem faciat; dummodo quod ſibi videtur omiſiſſe, non ſit *de neceſſitate Sacramenti*. Quod ſi exploratum ſibi fiat, ſe aliquid eorum omiſiſſe, quæ ſunt *de neceſſitate Sacramenti*, cujuſmodi eſt forma conſecrandi, debet illam proferre, ac reliqua omnia juxta ordinem iterare, ne ſacrificii ordo immutetur.

Poſſuntne plures Sacerdotes eamdem Hoſtiam conſecrare?

R. D. Thomas P. 3. q.82.2.2. affirmat, plures Sacerdotes poſſe unam & eamdem Hoſtiam conſecrare; *quia ſecundam conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum Sacerdotes cum de novo ordinantur, concelebrant Epiſcopo Ordinanti*. Illud etiam S. Doctor obſervat, *Apoſtolos Chriſto cœnanti concœnaviſſe*; & ideo recens Ordinati Miſſam celebrant cum Epiſcopo Ordinante. Cum enim Sacerdos operetur ex perſona Chriſti, nihil intereſt, unuſne, an plures Sacerdotes Sacramentum conſecrent; *quia Sacerdos non conſecrat, niſi ex perſona Chriſti: multi autem unum ſunt in Chriſto: ideo*

ideo non refert, utrum per unum, aut per multos hoc Sacramentum conſecretur.

Novi Sacerdotes debentne habere intentionem conſecrandi, cum verba conſecrationis proferunt cum Epiſcopo?

R. Negant alii; ſed revera intentio in iis Sacerdotibus eſt neceſſaria. Patet hoc ex eo, quod Epiſcopus conſecratus cum Epiſcopo conſecrante Miſſam celebrans cum eo utramque ſpeciem conſecrat, & ſub utraque percipit Sacramentum. Quid quod in Pontificali præſcribitur, ut Epiſcopus lente ac paullulum elata voce verba Canonis recitet, ac præſertim verba conſecrationis, ut recens Ordinati poſſint una cum eo eadem verba proferre? annon id ſatis indicat, conſecrationis verba non *materialiter & recitative* ab Ordinatis proferenda eſſe, ſed *ſignificative*, ut loquuntur Theologi? Ideo autem hi non recipiunt Sacramentum ſub utraque ſpecie, *quia ſolum ſunt ſecundarii celebrantes*, ut Sylvius obſervat. Quod vero ſacrum Miſſæ vere faciant, ex ipſo Ritu probatur. Neque enim antequam novi iſti Presbyteri Sacramentum percipiant, recitatur *Confiteor*, nec *Miſereatur*, nec *Indulgentiam*.

In-

Intentio novorum Sacerdotum eſtne dirigenda ad idem momentum, quo Epiſcopus conſecrat?

R. Ad idem prorſus. Quod non ita intelligendum eſt, ut intentionem habere debeant conſecrandi eodem momento, quo Epiſcopus extrema formæ verba protulerit, ſive ipſi ante, ſive poſtea formam expleverint. Formæ enim effectus ſuſpendi non poteſt. Sed intelligendum, eos oportere omne ſtudium adhibere, ut ultima formæ verba proferant una cum Epiſcopo, ea intentione, ut in hunc modum formam conſecrationis perficientes, una cum Epiſcopo conſecrent. Ex quo fit, ut ſi ante, vel poſt Epiſcopum formam abſolvant, non conſecrent, eo quod non habuerint intentionem conſecrandi, hoc modo abſolventes. Ita Sylvius ad art.2. q.82. D.Thomæ. Sed tutiſſima eſſe videtur Cajetani ſententia, qui monet, ut Ordinati intentionem habeant proferendi verba eo modo, quam poſſunt accommodatiſſimo, omne ſtudium & diligentiam adhibentes, ne ea proferant ante Epiſcopum. Paſqualigus vero Deciſ.Mor.422. ſatis eſſe putat, ſi Ordinati intentionem habeant expreſſam conſecrandi eamdem Hoſtiam, eumdemque Calicem ſimul cum Epiſcopo, nec anxie laborandum de abſurdis, quæ dicuntur poſſe

K con-

contingere. Epiſcopus enim præcipue conſecrat, Sacerdotes ſecundas, ut ita dicam, partes agunt. Itaque etſi vel paullo ante, vel paullo poſt Epiſcopum formam expleant, ea tamen cenſenda eſt tanquam prolata *moraliter* una cum Epiſcopo, unamque & eamdem facit conſecrationem. Idem ſentit & Innocentius III. l.4. de Myſt. Miſſ. c.25. & Vaſquez tom.3. in P.3. D. Thomæ q. 82. a.3. diſp.219. cap. 4. qui poſtquam monuit, omnem eſſe diligentiam adhibendam a Sacerdotibus, *ne Epiſcopum præcipue celebrantem in prolatione præveniant*, demum concludit, ſi forte quiſpiam ante Epiſcopum conſecrationis ultima verba pronunciaverit, *nihil fieri contra debitam reverentiam Sacramenti*.

Applicatio ſacrificii ponine poteſt in Dei voluntate, ut ejus fructum applicet, cui ipſe voluerit?

R. In hac quæſtione, ut plerumque fit, alii in alias abeunt ſententias. Sed tutiſſimum eſt, ut Sacerdos, antequam ad altare accedat, eos mente deſignet, pro quibus vult ſacrificare.

Quanam intentio ſufficit in applicatione Sacrificii?

R. *Habitualem* ſufficere, vulgo ſtatuitur.

tur. Applicatio enim eſt quædam quaſi donatio, ſeu translatio fructus, qui e Miſſa percipiendus eſt; quæ donatio, ſeu fructus translatio valida eſt, etiamſi multo tempore ante facta ſit, & multis actibus interrupta, modo revocata non fuerit.

In qua Miſſæ parte applicatio eſt facienda?

R. Quidam putant, fieri eam poſſe etiam poſt conſecrationem, ſed ante ſumtionem; propterea quod in utraque ſacrificium putant conſiſtere. Alii ante conſecrationem malunt, quod in ea tantum ſacrificii vim ponunt. Verum Sacerdos, ut omnem effugiat difficultatem, dum ſe ad ſacrificium parat, antequam ſacras veſtes ſumat, ſacrificii fructum applicet.

Sacerdotes Miſſam cum Epiſcopo celebrantes poſſuntne eleemoſynam ab aliquo accipere, & pro eo Sacrificium offerre?

R. Cum in Eccleſia Occidentali Sacerdotes cum Epiſcopo celebrabant, oblationum erant participes; quibus cum eleemoſyna ſucceſſerit, facile intelligi poteſt, ubi etiamnum vigeat ritus celebrandi cum Epiſcopo, non poſſe eum, qui cum illo ſacrificat, privari jure ſuo accipiendi eleemoſynam pro Miſſa ei

applicanda, qui eleemoſynam præbet, quique præſertim probe eſt conſcius, Sacerdotem eo modo cum Epiſcopo celebrare. Quod ſi aliter dicamus, Eccleſiæ Orientalis, in qua hujuſmodi ritus viget, Preſbyteri eleemoſyna plerumque carebunt.

Quid ſi hujuſmodi Sacerdotes uſitatis induti veſtibus Miſſæ tantum adſint, & Euchariſtiam accipiant?

R. Hi quoque prohiberi non poſſunt ab eleemoſyna accipienda, modo eam non accipiant nomine applicationis.

CAPUT VIII.

De Sacerdote in Miſſa, vel extra Miſſam Euchariſtia ſuſcipiente, vel aliis miniſtrante.

Cur particula immittenda in Calicem abrumpitur ex inferiore parte Hoſtiæ?

R. Dubitatum ab aliquibus fuit, utrum particula immittenda in Calicem abrumpenda eſſet ex parte ſuperiore, an ex parte inferiore Hoſtiæ. Ideo vero conſuetudo recepta eſt abrumpendi Hoſtiam ex parte inferiore, ut minima fragmenta, ſiqua in frangenda Hoſtia facta fuerint, in Calicem decidant.

Si,

Si, Sanguine hauſto, hujuſmodi particula Calici adhæſerit, quid facere debet Sacerdos?

R. Rubrica Sacerdotibus præſcribit, ut vel digito particulam extrahant uſque ad oram Calicis, eamque ſumant, antequam ſe abluant, vel novum vinum infundant, quod cum particula hauriant. Qui poſterior modus videtur decentior, & uſurpatur frequentius. Etſi enim poteſt contingere, ut Sacerdos guttam aliquam vini hauriat, antequam particulam deglutiat, & rumpatur naturale jejunium; tamen Sacerdos jejunus acceſſit ad altare, nec niſi coactus reverentia erga Sacramentum, & onere illud perficiendi, eo modo ad extrahendam Calice particulam utitur.

Quid agere oportet Sacerdotem, qui, poſtquam os abluerit, fragmenta relicta in Corporali, aut Patena animadvertat?

R. Abſumenda eſſe Doctores affirmant. Sotus tamen id ait eſſe firmandum, ſi de fragmentis agatur; ſecus, ſi de non ita parva Hoſtiæ particula. Hæc enim in tabernaculo eſt condenda. Sed Sylvius P. 3. q. 80. a.8. docet, Hoſtiæ fragmenta, ſive parva, ſive magna, etiam poſtquam Sacerdos

ſe abluerit, eſſe abſumenda. Quod ſane etiam Rubrica præſcribit.

Quid ſi integra Hoſtia remanſerit?

R. Aut Sacerdos deprehendit Hoſtiam conſecratam, antequam Corpus & Sanguinem ſumſerit, & utramque debet ſumere, ut præcipit Rubrica. Aut id advertit, ſumto jam Corpore & Sanguine, & ore abluto, & tunc Hoſtiam debet in tabernaculo condere; aut, id ſi præſtare non poſſit, eam in corporali decenter coopertam relinquat, a Sacerdote, qui poſtea ſacrificaturus eſt, ſumendam; aut eam immittat in Calicem, vel ponat in Patena, ut condi poſſit in tabernaculo, vel ab alio ſumi. Quod ſi nihil horum illi facere liceat, eam ſumat. Rubrica ita præſcribit.

Parvæ Hoſtiæ veniuntne ſub nomine fragmentorum?

R. Eorum probamus opinionem, qui ſtatuunt, eas Hoſtiæ nomine contineri; ita ut ſi parva Hoſtia remaneat, ſervandum ſit, non quod de fragmentis tradidimus, ſed quod de integra Hoſtia docuimus.

Quid ſi ſupereſſe fragmenta Sacerdos advertat, poſtquam abiit ab altari?

R. Ita rem expedivit Clerus Patavinus in Reſol.Mor. anni 1708. Dub. 2. Caſ. 1. menſis Decembris. Aut Sacerdos id advertit, poſtquam rediit in Sacriſtiam, ac nondum ſacras veſtes exuit, & tunc ſumere debet quod ex ſacrificio ſuperfuit. *Sumtio* (ſunt ipſius *Reſolutionis* verba) *harum reliquiarum poſt Miſſam relictarum eſt complementum ipſius actionis & Sacrificii, quod moraliter cenſetur durare, donec concurrant hæc duo, & quod adſint talia fragmenta ex ipſo inadvertenter relicta, & nondum ſacris veſtibus Sacerdos exutus ſit, dummodo non ſtudioſe, aut aliquo impedimento detentus diu diſtulerit eas exuere, ſed unico contextu, ut fieri ſolet, ab altari ad Sacriſtiam recta perrexerit, & ibi ſacræ menſæ reliquias, Paramenta Miſſæ depoſiturus, inveniat.* Aut id advertit Sacerdos, poſtquam ſacris ſe veſtibus exuit; & tunc, ſi in templo ſit tabernaculum, aut Sacerdos aliquis exiſtat, qui ſit ſacrificaturus, quidquid ſuperfuit a ſacrificio, in tabernaculo eſt recondendum, aut decenter reſervandum, ut ab eo, qui ſacrificabit, abſumatur. Si vero tabernaculum ibi non ſit, nec ullus adſit Sacerdos, qui ſacrificet, quidquid e ſacrificio ſuperfuit, abſumendum

 eſt;

eſt ; idque etiam faciendum, ſi prudentum virorum judicio periculoſum eſſet a Sacriſtia ad altare Sacramentum aſportare. Neque vero hoc abſonum videri debet , cum in Conſtantinopolitana Eccleſia quondam diſciplina viguerit , ut tradit Evagrius l. 4. c. 36. abſoluta populi communione , ſi multum conſecrati panis ſuperfuiſſet , e ſchola innocentes pueros arceſſendi,quibus diſpertiretur . Si enim ad arcendum omne contemtus periculum Euchariſtia , quæ ſuperfuiſſet, ab innocentibus pueris ſumebatur , multo potiore jure reliquias ſacrificii ſumere poterit Sacerdos, licet ſacris depoſitis veſtibus , quando , ni ita fieret , contemtus periculum timeri poſſet .

Si Sacerdos , poſtquam os abluerit , advertat , guttas vini Calici adhæſiſſe, quid eum facere oportet ?

R. Si guttæ hæreant Calici extrinſecus,habendæ ſunt tanquam non conſecratæ, & purificatorio abſtergendæ . Si vero intrinſecus adhæreant , etſi quidam putant , habendas eſſe tanquam non conſecratas, & extergi poſſe purificatorio,utpotè ſeparatas a Sanguine , qui fuit in ima parte Calicis ; tamen tutius eſt, eas conſiderare tanquam conſecratas , atque , dum ſecundo Sacerdos os abluit, abſumere .

Si

Si facienda ſit Proceſſio, & Sacerdoti in mentem veniat, Hoſtiam in tabernaculo ad hoc reconditam a pluribus menſibus fuiſſe conſecratam, poteſt ne is Hoſtiam recens conſecratam Proceſſioni reſervare, & veterem Hoſtiam pro recenti ſumere?

R. Negamus cum Sylvio P.3.q.83. a.4. qui ita ſcribit: *Peccaret graviter Sacerdos, qui Hoſtiam, ſeu formulam unicam in ſua Miſſa conſecratam ſervaret pro Proceſſione, & ejus loco ſumeret veterem; quia ſic agens non participaret de utraque ſpecie tunc conſecrata, ac per conſequens non integre compleret ſacrificium.* Et in Can. *Relatum*, de conſecr. diſt.2. habetur: *Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* Itaque Sacerdos, cui hoc evenerit, debet conſecrare duas Hoſtias, quarum alteram ſumat, alteram Proceſſioni reſervet, ut idem Sylvius docet.

Sacerdos, cui non eſt copia Hoſtiæ uſitatæ magnitudinis, ſed parvi moduli, poteſtne ad ſcandalum tollendum in elevatione Hoſtiam in tabernaculo proceſſionibus reſervatam populo oſtendere?

R. Placet quibuſdam, ut utraque Hoſtia, tum magna tabernaculo extracta,

tum parva recens conſecrata, ſimul junctæ populo oſtendantur. Sed conſultius eſt, ut Sacerdos populum inſtruat, doceatque, cum neceſſitas urget ſacrificandi, nec ſuppetit niſi parvæ formæ Hoſtia, licere eam conſecrare; ſe in his anguſtiis verſari; idque omnibus prædictum velle, ne quiſquam miretur, ſi videat parvam Hoſtiam elevari.

Sacerdos extra Miſſam poteſtne Sacramentum ſibi ipſe miniſtrare?

R. Docet Sylvius, Sacerdotem, qui ſacrificare non poſſit, ſi nullus alius Sacerdos ſit, qui Euchariſtiam illi exhibeat, poſſe eam ſibi ipſe miniſtrare, modo abſit ſcandalum, & præcipua quædam ratio ſit, quamobrem Sacramentum percipiat.

Sacerdos, qui Euchariſtiam ab alio ſumit, quo habitu uti debet?

R. In Rituali Romano præcipitur, ut Sacerdotes ſtola induti Euchariſtiam ſumant.

Debetne Sacerdos particulas, quas præbere velit populo, offerre ſimul cum Hoſtia?

R. Rubricæ præſcribunt ad primum *Offertorium*, ut Sacerdos, ſublata Patena

cum

cum Hoſtia, recitet orationem *Suſcipe, S. Pater*, & ſi quæ ſunt aliæ Hoſtiæ parvæ, quæ populo ſint diſtribuendæ, ponantur non ſuper Patenam, ſed ſuper Corporale, ſeu in Pyxide, quam Sacerdos aperiat, eaſque offerendi intentionem habeat.

Siquis Pyxidem non aperuerit, & intentionem habuerit conſecrandi quidquid in Pyxide continetur, cenſendumne eſt, eum conſecraſſe?

R. Valide quidem conſecravit, ſed illicite; ſiquidem Sacerdos vel per negligentiam, vel per ignorationem eorum, quæ ad ejus miniſterium pertinent, omiſit Pyxidem aperire ante Oblationem, & Conſecrationem. Ideo vero valide conſecravit, quia materia præſens fuit *moraliter*, quod ſatis eſt.

Quænam eſt hæc præſentia moralis?

R. Materia præſens *moraliter* eſſe intelligitur, cum vere in illam cadere poſſunt verba illa formæ. *Hoc*, vel *Hic*. Itaque non poteſt conſecrari materia, quæ vel poſt tergum Sacerdotis poſita ſit, vel quæ abſit, quamvis eam in mente Sacerdos habeat, vel quæ longe ab eo ſit, vel quæ interjecto corpore, ut pariete, ſeparetur.

Particula allata, Præfatione *incœpta*, *conſecrarine poſſunt ?*

R. Alii alia dicunt. Sed communis ſententia eſt, non debere particulas conſecrari, cum *Canon* recitari incœperit, etiamſi agatur de conſecranda particula, quæ pro Viatico ad ægrotantem afferenda eſſet. Tunc enim parva quædam detrahi poteſt particula ex Hoſtia Miſſæ, & ægrotanti reſervari.

Cur hujuſmodi particula conſecrari non poſſunt, Præfatione *incœpta ?*

R. Quia, cum ſint offerendæ ſaltem mente, ut diximus, ordo Miſſæ perverteretur. Quod ſi tamen multitudo magna ad ſuſcipiendam Euchariſtiam conveniſſet, conſecrandæ ſunt, ne Sacramento careat. Ita Tamburinus in Methodo celebr. l.2.c.5.cujus doctrinam amplexus eſt Clerus Patavinus.

Si Sacerdos particulas conſecrandas ab Ædituo poſitas in cornu Epiſtola non advertat, quamvis dixerit, eas ſe conſecraturum, cenſendæne ſunt conſecratæ ?

R. Licite nihil conſecrari poteſt, quod eſt extra Petram ſacram poſitum. Itaque, etſi Sacerdos ante Miſſam habuerit in-

intentionem conſecrandi, cenſendum eſt, eas revera ab illo non fuiſſe conſecratas; quod præſumi non poſſit, eum voluiſſe illiçite conſecrare.

Si Sacerdos ex undecim allatis particulis decem conſecrare intendat, nec quam excludit, deſignet, validane eſt conſecratio?

R. Negat Rubrica his verbis: *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans, quas decem intendit, in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio*: ſcilicet intentio determinans. Quod ſi materiam omnem præſentem conſecrare intendat, omnes undecim conſecratæ cenſentur, tametſi putarit eſſe decem; ut ait Rubrica. *Secus, ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat. Nam tunc omnes erunt conſecratæ. Atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem ſemper deberet habere, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.*

Quid ſi undecim eſſe putet, cum ſint tantum decem?

R. Recte habet conſecratio; quia minor numerus in majore continetur.

Si

Si Sacerdos inſcius duas in manibus habeat Hoſtias, conſecratne ambas?

R. Si intentionem habeat (ut habere debet) conſecrandi quidquid manibus tenet, ambas conſecrat. Sed ſi intentionem habeat (quam habere non debet) illam tantum Hoſtiam conſecrandi, quam oculis videt, tunc illam tantum conſecrat.

Sacerdos debetne diſtribuere Euchariſtiam adſtantibus ſtatim, poſtquam ipſe eam ſumſit, an Miſſa abſoluta?

R. Rubrica præſcribit, ut non in fine Miſſæ, ſed proxime poſt communionem Sacerdotis fiat communio adſtantium. Conſonat Rituale Romanum, modo aliqua non interveniat cauſſa, quamobrem ad finem Miſſæ eadem communio differenda ſit; e. gr. ſi magna vis hominum ad ſuſcipiendum Sacramentum convenerit, & ſuſpicio ſit, ne ceteri, qui Miſſæ interſint, tædio capiantur, Miſſæ finem exſpectantes.

Cur ſtatutum eſt, ut antequam Miſſa expleatur, Sacramentum miniſtretur?

R. Ne Fideles fraudentur precibus & ora-

orationibus, quas poſt communionem recitat Sacerdos, quæque non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad Fideles pertinent. Quare eos errare conſtat, qui abſque cauſſa poſt Miſſam Fidelium communionem protrahunt.

Poteſtne miniſtrari Euchariſtia in Miſſis Defunctorum?

R. Vetitum olim fuit decreto S. Rituum Congregationis anno 1701. ne cuiquam in Miſſis Defunctorum Euchariſtia præberetur. Sed, re iterum ſubjecta examini in eadem Congregatione XII. Cal. Apr. 1711. cui adfuit Benedictus XIV. tunc *Fidei Promotor*; hoc decretum noluit vulgari S. Congregatio, aut aliquod exemplar edi. Quare non eſt, quod toto quiſquam eo decreto uti poſſit. Licebit igitur in Miſſis defunctorum Euchariſtiam miniſtrare, dummodo id fiat in Miſſa ipſa. Præſcribit enim Rituale Romanum, ut extra Miſſam miniſtretur Euchariſtia cum Superpelliceo & Stola coloris, qui congruat officio ejus diei, vel coloris albi, ut aliqui cenſent; qui color convenit Sacramento Euchariſtiæ.

Poteſtne miniſtrari Euchariſtia in Miſſa Noctis Natalis Domini?

R. In Baſilica Vaticana, in cujus Cano-

nonicorum numero plures annos fuit Benedictus XIV. e manibus Sacerdotis ſacrificantis nocte Natalis Domini recipiunt Euchariſtiam non modo Diaconus & Subdiaconus, ſed etiam omnes Canonici & Beneficiati, ceterique omnes e Clero, qui non ſunt Sacerdotes. Sed parendum eſt S. Rituum Congregationis decretis, quæ vetat, ne ea nocte aliæ duæ Miſſæ celebrentur, neque adſtantibus Euchariſtia tribuatur, propter gravia, quæ inde oriebantur, abſurda.

Poteſtne Feria VI. in Paraſceve?

R. Feria VI. in Paraſceve,ne cuiquam, exceptis infirmis, Euchariſtia tribuatur, vetitum eſt decreto S. Congregationis Rituum XI. Cal. Mart. 1622. quod tamen decretum in Regeſtis non reperiri teſtatur Cheratus in Indice decretorum num. 78. Sed certum eſt, non niſi infirmis eo die tribuendam Euchariſtiam, etiamſi in illum diem caderet Feſtum Annunciationis, ut Rubricæ præſcribunt.

Poteſtne Sabbatho Sancto?

R. Etſi Clericatus deciſ. 15. de Sacr. Euch .probare conetur, nihil eſſe, quo prohibeatur, Euchariſtiam eo die miniſtrari; communem tamen exiſtimamus ſer-

ſervandam eſſe conſuetudinem ſolis infirmis Euchariſtiam miniſtrandi.

Poteſtne in Oratoriis privatis?

R. Ut in Oratoriis privatis miniſtrari poſſit Euchariſtia, opus eſt ſpeciali licentia Ordinarii, ut demondravit ex communi ſententia Benedictus XIV. Edicto 14. paragr. 11. tom. 2.

Uſus præbendi Euchariſtiam extra Miſſam unde, & quo tempore profectus?

R. Uſus adminiſtrandi Euchariſtiam extra Miſſam cœpit Hieroſolymæ S. Cyrilli temporibus. Confluente enim magna advenarum multitudine ſacram depoſcentium Euchariſtiam in Eccleſia Orientali, fieri minime poterat, ut quoties diſtribuendum eſſet Sacramentum, toties ſacrum Miſſæ fieret. Ab Eccleſia Orientali in Occidentalem ea conſuetudo manavit. Nec ſane poteſt improbari. Publice enim id fieri videmus; & Rituale Romanum Tit. *de ordine miniſtrandi ſacram communionem* regulas proponit ſervandas in adminiſtratione Sacramenti extra Miſſam.

Siquis peccati reus Sacramentum miniſtret, peccatne?

R. Licet aliqui negent, retinenda tamen

men eſt contraria ſententia, quæ propter ſummam, quæ tanto debetur Sacramento, reverentiam, ſtatuit, reum eſſe gravis peccati Sacerdotem miniſtrantem in peccato mortali Euchariſtiam; quia, ut eruitur ex Can. ult. 15. q. 8. *Mali bona adminiſtrando ſe lædunt, & unde aliis commodum exhibent, inde ſibi diſpendium præbent.*

Num etiam peccat, qui adminiſtrat Sacramentum Baptiſmi in peccato mortali?

R. D. Thomas, qui P. 3. qu. 64. ar. 6. ait, eum peccare graviter, qui gravis peccati reus Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrat, in reſponſione ad 3. illum dumtaxat excuſat a peccato, qui, urgente neceſſitate, adminiſtrat in peccato Sacramentum Baptiſmi.

Siquis ſciens ac prudens ſumat Euchariſtiam a Sacerdote ſchiſmatico, aut excommunicato, peccatne?

R. Cum Sacerdos ſchiſmaticus, & excommunicatus male utatur poteſtate ſua Miſſam celebrando, & Euchariſtiam diſtribuendo, ideoque peccet, peccat etiam qui Miſſam ejus audiendo, aut Euchariſtiam ab eo ſuſcipiendo favet peccato

cato illius. Ita D. Thomas P. 3. qu. 82. ar. 9.

Si quis peccato contaminatus pluribus Euchariſtiam diſtribuit, unumne, an plura peccata committit?

R. Quidam putant, unum tantum peccatum committi. Eſt enim unus quodammodo actus. Alii contra ſtatuunt, tot peccata mortalia committi, quot ſunt ii, quibus Sacerdos Sacramentum exhibet; quia actui, licet unus videatur, toties finis imponitur, quoties præbetur Euchariſtia. Quemadmodum ſcilicet qui pluries fornicatur, licet continenter, cum eadem perſona, toties peccat, quoties fornicatur.

Si æger non poteſt deglutire Hoſtiam, quid faciendum?

R. Olim, ſi moribundus non poſſet ſanctam deglutire particulam, mos erat, ut in ejus ſolatium vel particula non conſecrata deferretur, vel etiam conſecrata, ut eam ipſe adoraret, non tamen ſumeret. Nunc vero non eſt quidquam tale faciendum. Vetuit enim S. Pius V. & S. Congregatio Concilii.

Hujuſmodi infirmo poteſtne deferri Euchariſtia ſub ſpecie vini ?

R. Concilium Toletanum undecimum habitum anno 675. Can. 11. ſtatuit, ſi æger ſacram non poſſit deglutire particulam, ut ei præbeatur Euchariſtia ſub ſpecie vini. Alia præterea ſunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta, ex quibus intelligitur, Euchariſtiam ſub ſpecie panis vino conſecrato emolliti exhibitam fuiſſe. Nunc tamen minime licet, cum uſus Calicis Laicis & Clericis Sacramentum non conficientibus gravibus de cauſſis ab Eccleſia vetitus fuerit. Poteſt tamen, ſi hoc eveniat, ſacer panis ſimplici vino, aut aqua emolliri. Nec ſane ad hoc confirmandum deſunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria monumenta.

Licetne uni eidemque homini plures particulas, vel magnam hoſtiam præbere?

R. *Epiſcopi, Parochi, vel Confeſſarii inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas.* Verba ſunt decreti S. Congregationis Concilii de quotidiana communione, quod approbavit Innocentius XI. prid. Id. Febr. 1679. Huc ſpectant verba Canonis *ubi pars.* diſt. 2. de conſecr. *Non eſt omnino quantitas*

titas

titas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus Sacramenti ſpiritualis.

Licetne hoſtiam non conſecratam pro conſecrata peccatori indigne ſumenti præbere?

R. Non licet, præſertim propter periculum Idololatriæ, cui obnoxius eſt tum qui Euchariſtiam ſuſcipit, tum alii, qui adſunt. Celebris eſt Innocentii III. Decretalis in cap. *de homine*, de celebr.Miſ. ubi hæc habentur: *Cum ergo falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is, qui pro criminis ſui conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere qui ſic fraudolenter illud præſumſerit ſimulare; cum ille in ſolius miſericordis Dei manus incidat, iſte vero non ſolum Deo, cui non veretur illudere ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.* Idem docet D.Thomas P.3. qu.80. ar.6. ad 2. & alii. Innocentius XI. condemnavit propoſitionem: *Urgens metus gravis eſt cauſſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*; quo Pontificis decreto ſublata eſt omnis ſuper hac re cavillandi ratio.

Quid

Quid faciendum, ſi publicus peccator ad Euchariſtiam ſuſcipiendam accedat?

R. Certæ ac firmæ præſtitutæ ſunt regulæ, quas adhiberi oportet, ubi publici peccatores Euchariſtiam poſtulant. Has proponit D. Thomas P. 3. q. 80. ar. 6. Si peccator manifeſtus, hoc eſt de cujus gravibus ſceleribus compertum eſt vel ex ſententia Judicis, vel ex illius confeſſione in judicio, vel ipſius facti notitia, quæ omnino diſſimulari non poteſt, Euchariſtiam petat, ei aperte neganda eſt, ſive publice, ſive privatim petat. Si peccator occultus accedat, & publice petat, exhibendum eſt ei Sacramentum, ne infamia notetur; ſi privatim petat, negandum eſt; admonendusque ille, ne publice petat.

Si Sacerdos ex Sacramento Pœnitentiæ noverit, peccato occulto eum obſtrictum eſſe, qui Euchariſtiam privatim petit, poteſtne illum rejicere?

R. Non poteſt, niſi forte alia de cauſſa. *Si ille, cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit; ſed tamen non nominatim poteſt eum removere a communione, licet ſciat, eum eſſe reum;*

reum; *quia non ut judex ſcit*, *ſed ut Deus*. Ita Decretalis in cap. *ſi Sacerdos*. de off. Jud. Ordinarii.

Damnatis ad mortem eſtne danda Euchariſtia?

R. In Gallia & Hiſpania capite plectendis non datur Euchariſtia; quam conſuetudinem nobis neque probare eſt animus, neque refellere. Apud Indos exhibetur, ut conſtat ex Concilio Limano I. ſub S. Turribio anno 1582. habito, quod approbavit Apoſtolica Sedes, ut videre eſt in cap. 22. apud Cardinalem de Anguirre tom. 4. Concil. Hiſp. pag. 238 *Ii qui propter facinora commiſſa capitis damnati ſunt*, *pridie quam ad patibula a Magiſtratu ducantur*, *communione Chriſti Corporis muniantur*, *quo patienter & cum ſalute animæ pœnas corpori debitas ferant*. Apud Italos & Germanos hujuſmodi miſeris hominibus item præbetur, modo pœnitentiam ſuorum peccatorum præ ſe ferant, Euchariſtiam petant, eaque non indigni ab iis exiſtimentur, quorum eſt ea de re judicare: atque ejuſmodi conſuetudinem, ubi ea viget, retinendam putamus.

Siqua particula, aut gutta Sanguinis in terram delabatur, quid faciendum?

R. Caveant diligentiſſime, ne id accidat, Sacerdotes: quod ſi forte contigerit, regulas ſervent, quæ præſcribuntur in Rubricis. Ceterum etſi pœnæ, quæ ob id ſtatuuntur in can. *ſi per negligentiam*, de conſecr. diſt. 2. obſoleverunt, tamen Eccleſiæ Moderatoribus reſervata facultas eſt alias infligendi, ne impune ſit iis, qui in tanto myſterio negligenter ſe gerunt.

Quid ſi particula delapſa ſit in pectus fœminæ?

R. Non Sacerdos, ſed ipſa fœmina particulam, vel fragmentum quærat, & ſuis ipſa manibus ſibi in os injiciat.

FINIS.

I N-

INDEX RERUM

A

ABbates Regulares quod benedictiones impertiantur . pag. 147
Ablutio manuum ante Miſſam unde pendeat. 21. Quam dudum ſit inſtituta. ibid. eadem in Miſſa . 62
Accidentia , ſeu ſpecies remanent poſt conſecrationem . 113
Alba quid ſit . 14. quidve ſignificet . 18. ejus multiplex nomen & uſus . 15
Alleluja quid ſignificet , & quis ejus auctor . 44. ejus uſus . 46
Altare quodnam eſſe oporteat. 4. ejus conſecratio unde orta . ibid. unicum olim in templis . 3. de altaris oſculo. 30. Altaris dextera & ſiniſtra quomodo olim cenſerentur. ibid. Altaris mobilis privilegium quibus conceſſum . 163.
Ambroſiani ritus quæ formula in fractura Hoſtiæ . 112
Amæ quid fuerint , quidve Amulæ . 11
Amen . quid vox hæc ſignificet . 40
Amictus quid ſit . 14. quid ſignificet. 18
Anaboladium quid , & ejus olim uſus. 14.
Antiphona quid ſignificet . 25. quæ dicitur *Communio* quando olim caneretur . 142.
Apoſtoli quonam ſermone Miſſam cele-

braverint. 23. qua veſte uſi. 14. eorum Miſſa num ex ſola oratione Dominica conſtaret. 108

Applicatio. De Miſſæ applicatione. 170. plures expenduntur caſus ad eam pertinentes. ibid. & ſeqq. quo tempore applicatio Miſſæ fieri debeat. 175. in qua item Miſſæ parte. 219. applicandi intentio quænam ſufficiat. 180

Aqua convertitur in Chriſti Sanguinem. 86. unde ritus infundendi aquam. 58. cur aquæ tantum benedicatur. 59

Armenis Catholicis non conceſſa celebratio ſacrificii cum ſolo vino. 59

Auguſtini doctrina de ſuffragiis. 100

B.

Benedicamus Domino. quando hæc formula uſurpetur. 144

Benedictio Epiſcoporum & Sacerdotum in fine Miſſæ quam vetus. 146. benedictio frugum ad quem olim Miſſæ locum fieret. 103

Benedicti XIV. encyclica Epiſtola. 129. alia ejuſdem. 171. alia. 187

Birretum quid ſit, & unde dictum. 17

Brachiis paſſis ſublatiſque veteres orabant. 46

C

Calicem cujuſmodi eſſe oporteat. 7. Calix a quo conſecrandus. 8. quonam

nam veteres uſi. 9. Calices Baptiſmi quid fuerint, quidve Miniſteriales. ibid. De Calicis oblatione. 60. An Calicis uſus unquam Laicis conceſſus. 133. In Calicem conſecratum ſi magna vis aquæ infundatur, an remaneat Sacramentum. 182

Canon quid ſit, & quis ejus auctor. 68. ejus antiquitas. 69. In Canone pro quibus oretur. 71. quorum Martyrum fiat mentio. 76. ex Canone in Eccleſia Romana excluſi ſunt Confeſſores. 103. Canonis oratio prima cur diceretur ſuper Diptycha. 77. Diſciplina recitandi Canonem ſecreto quando cœperit. 135

Canonici an teneantur habere Miſſam Conventualem. 153. eamdem quibus debeant applicare. 170

Capellania. An in fundatione Capellaniæ cenſeatur appoſitum onus applicandi Miſſam Fundatori. 172. & ſeqq.

Cappuccinis conceſſum, ut a quolibet approbato Sacerdote poſſint abſolvi. 187.

Celebratio Miſſæ frequens & quotidiana laudanda. 152. An celebrare liceat Miſſam extra templa & oratoria. 164. an ſine ſacris indumentis. 166. an ſine luminibus. 167. an ſine miniſtro. 20. & 167. an in templo polluto. ibid. celebrandi Miſſam quodnam tempus definitum. 169

Celebrans Miſſam debet eſſe in Gratia. 195.

195. indigne celebrans unumne, an plura peccata committat. 185. quid illi agendum, qui inter celebrandum peccati alicujus meminerit. ibid. quid illi, qui dubitat, an ſit jejunus. 188. Celebrans Miſſam, non dicto prius Matutino & Laudibus, an peccet. 197.
Chriſtiani veteres Fratres ſe appellabant. 64.
Cingulum quomodo circumducendum. 15. quid ſignificet. 19
Clauſula *Per Dominum noſtrum*. 39. clauſula *Per omnia ſæcula &c.* cur poſt *Secretas* elata voce dicatur. 65
Collecta quid ſit, & ejus multiplex ſignificatus. 37. quis ejus auctor. 38. Collecta quondam una tantum recitabatur. ibid. cur ad Patrem dirigatur. 39. cur item ad Filium. 40. Collectas facere quid ſit. 2
Commixtionis aquæ cum vino quæ ſignificatio. 60
Communio. In Communione recitandi verba, *Domine non ſum dignus*, ritus quam vetuſtus. 122. De communione Pontificis. 123. an in Communione Sacrificium conſiſtat. 125. Communio ſub una tantum ſpecie quando cœperit uſurpari. 132. Quinam hoc tempore Communionem ſumant ſub utraque ſpecie. 134
Concelebratio. An concelebrantes Preſbyteri cum Epiſcopo poſſint eleemoſy-

ſynam accipere,&Miſſam applicare 219.
Confeſſio in principio Miſſæ unde repetenda. 27. Confeſſio Sacramentalis an præcepta Sacerdoti, antequam celebret. 186. an etiam Laicis, antequam communicent. ibid. præceptum hoc cujuſmodi ſit. 187. quando ſine confeſſione poſſit Sacerdos celebrare. 186
Conſecratio. De verbis conſecrationem præcedentibus. 81. Conſecrationis verba quomodo a Sacerdote dicantur. 82. Conſecrationis verba explicantur. 83. Quænam ſit conſecrationis Panis forma, & quæ item Vini. 84. Hac in re Græcorum ritus. 85. Conſecratio num fiat ex virtute verborum Chriſti, an precibus Eccleſiæ. 196. Conſecratio utriuſque ſpeciei in Euchariſtiæ Sacramento quo jure ſancita. 183. Qui alterutram ſpeciem ſine altera conſecret, an peccet, an Sacramentum conficiat, & ſacrificium. 184
Corporale quouſque olim porrigeretur, qua ex materia conſtare debeat, & ejus ſignificatus. 10
Corpus Chriſti quomodo dici poſſit frangi in Euchariſtia. 113
Crux imponenda altari, ubi celebranda Miſſa, & ejus uſus ex Apoſtolica Traditione. 6. Crucis ſigno cur Sacerdos in Miſſa librum, & ſe ipſe ſignet. 49. Crucis ſigna ſuper Cali-

cem & Hoſtiam ducta quid ſignificent. 79. 82. 92. 97. 105. 116

D

Damnati, num pro damnatis orandum. 100
Defectus in Miſſa occurrentes, eorumque remedia. 209
Defuncti: Mos orandi pro Defunctis qua auctoritate fulciatur. 98. Olim Defunctorum nomina, pro quibus Sacerdos orabat, recitabantur. ibid. In generali eorum Commemoratione plures celebrare Miſſas quibuſdam licet. 157
Diaconi primo Ordinationis ſuæ anno Stolam adhibebant. 16
Diptycha quid fuerint. 77
Diſpenſatio celebrandi capite tecto Pontifici reſervatur. 17

E

Epiſcopi Manipulum induunt poſt *Confiteor*. 15. Stolam ſemper adhibuerunt. 16. Olim feſtis tantum diebus recitabant in Miſſa hymnum *Gloria in excelſis*. 35. In Miſſa loco *Dominus vobiſcum*, dicunt *Pax vobis*. 36. quando cœperint hanc formulam uſurpare. 37. Ternis Crucis ſignis in fine Miſſæ populo benedicendi mos quam vetus. 146
Epiſtola. Epiſcoporum & Summorum Pontificum epiſtolæ primis Eccleſiæ ſeculis

culis legebantur in templis. 41. Epiſtolarum & Evangeliorum ſeries a quo digeſta. 42. Epiſtolam in templo cantare quando cœperit Subdiaconus. 43
Evangelium legebant olim in Miſſa Lectores. 49. Quando Evangelium in Miſſa legi cœptum ſit. ibid. Evangelio dicto, olim dicebatur *Deo gratias.* ibid. Equeſtrium ordinum Religioſi ad Evangelii lectionem gladium diſtringunt. 50. Evangelium S. Joannis in fine Miſſæ cujus juſſu legatur. 148
Euchariſtia latriæ cultu adoranda. 86. Euchariſtiæ elevatio in Miſſa quando uſurpari cœpta. 87. Qui ritus ſervandus a Sacerdote Euchariſtiam miniſtrante. 231. Euchariſtia quando diſtribuenda. 126. an miniſtrari poſſit in Miſſis Defunctorum. 231. an in Miſſa Natalis Domini. ibid. an Feria 6. in Paraſceve & Sabbatho ſancto. 232. an in privatis domorum Oratoriis. 233. uſus Euchariſtiam miniſtrandi extra Miſſam unde, & quando profectus. 233. Euchariſtiam miniſtrans in peccato, an peccet. ibid. Euchariſtia peccatori an miniſtranda. 237. an ſontibus morte puniendis. 239. quomodo olim traderetur viris, quomodo feminis. 127. Olim omnes Miſſæ adſtantes Euchariſtiam ſuſcipiebant. 129

F

Femina. Sacra particula in pectus feminæ delapſa quomodo excipienda. 240.

Fragmenta Hoſtiæ poſt ſumtionem relicta ſi Sacerdos advertat, quid facto opus ſit. 221. quid ſi ea videat, poſtquam receſſit ab altari. 223. Fragmenta conſecrati panis quibus olim diſpertirentur in Conſtantinop. Eccleſia. 224

G

Gloria in excelſis unde ortum habuerit. 35. quando in Miſſa uſurpari cœperit. ibid. quando omittatur. ibid. qua olim altaris parte a Sacerdote diceretur. 36

Gradualis etymon. 44. ejus auctor. ibid.

Græci ſacras veſtes duobus tantum tinctas coloribus adhibent. 17. eorum ritus de commiſcenda calida in calicem conſecratum. 58. eorum ſententia de conſecrationis verbis. 85. ritus in fractura hoſtiæ. 113. in ſuſcipienda Euchariſtia. 131

Guttæ Calici adhærentes an cenſendæ conſecratæ. 224

H

Hoſtia. De Hoſtiæ elevatione. 87. & 106. De fractione Hoſtiæ. 112. cur immittatur pars Hoſtiæ in Calicem. 117. De Hoſtiæ forma. 13. Hoſtia in Miſſa conſecrata an reſervari poſſit ad Proceſſionem poſt Miſſam faciendam. 225. Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata num liceat peccatori præbere. 237

Hymnus *Sanctus, Sanctus &c.* unde ſumtus ſit. 67. & cur ad ea verba pulſetur campanula. ibid.

I

Jejunium quale requiratur ad ſumendam Euchariſtiam. 191. quibus rebus non frangatur. 193

Intentio quotuplex apud Theologos. 179. an requiratur intentio in ſacramentis conficiendis. ibid. ad applicandum ſacrificium quænam ſufficiat. 180

Interruptio. De interruptione Miſſæ ſeu culpa, ſeu morbo. 109. de aliis Miſſæ interruptionibus. 205. & ſeqq.

Introitus unde dictus, & ejus quis auctor, & unde Introitus omnes depromti. 31

Ite Miſſa eſt quando dicatur. 144

L

LEctio S. Scripturæ in Miſſa unde orta. 41
Legendi munus olim in Miſſa Evangelium cur a Lectoribus ad Diaconos ſit translatum. 49
Leo III. plures eodem die Miſſas celebravit. 159
Lex Occidentalis Eccleſiæ de mentione facienda Rom. Pont. in Canone. 71. item Epiſcopi. ibid.
Linteorum uſus ſuper altare antiquiſſimus. 7
Lutherus a quo acceperit privatæ Miſſæ abrogandæ conſilium. 128

M

MAnipulus quid ſit. 15. quid ſignificet. 19
Martyribus ſolis in Canone locus. 103
Materia & forma Sacrificii. 181. materia quando præſens eſſe dicatur. 227
Melchiſedech quis fuerit. 96. cur Chriſtus ſecundum ejus ordinem dicatur Sacerdos. ibid.
Miſſa unde dicta. 22. quo ſermone celebranda. 23. ubi celebranda, quomodo recitanda. 196. quotuplex ejus fructus. 74. & 169. primis Eccleſiæ ſeculis etiam extra templum celebrabatur. 2. Miſſa *Sicca* quid. 165. cur in-

introducta. ibid. An privatas Miſſas celebrare liceat Feria V. in Cœna Domini, & Sabbatho Sancto. 155. an plures eodem die. 157. Miſſa, in qua ſolus Sacerdos communicat, an comprobetur. 129

N

Navigium. In navigio an liceat celebrare Miſſam. 164

Nomina Offerentium in Miſſa olim recitabantur. 78

Novella Juſtiniani quam mutationem induxerit in Orientis Eccleſias. 136

O

Oblatio panis conſecrandi olim in uſu. 12. & 56. cur in oblatione Calicis Sacerdos dicat *Offerimus*, & non *Offero*. 60. Oblatio quæ pars ſit Sacrificii. 126

Offertorii nomine quid intelligatur. 56. quomodo in Offertorio debeat Sacerdos particulas cum Hoſtia offerre. 226

Oratio. Cur primis quatuor ſeculis non ad Trinitatem, ſed ad Patrem Orationes dirigerentur. 63. Oratio *Dominus vobiſcum* unde ſumta. 28. Orationes quæ dicuntur *Secretæ*. 64. & 135. De illis orationis verbis: *Per quem hæc omnia &c.* 104. Oratio Dominica num ſit pars Canonis. 107. cur recitetur elata vo-

ce in Miſſa, ſubmiſſa vero in Officio. 108. de eadem quinam olim Græcorum ritus. 109. Oratio *Libera nos &c.* quomodo a Ritualiſtis appelletur. 110. Orationis *Agnus Dei* quis auctor. 119. Oratio ſecreta *Placeat* 146
Oratorium. An in privato Oratorio liceat celebrare Miſſam. 162. an ternas in Natali Domini. 156. an Euchariſtiam miniſtrare. 233
Ordinatio. Ad validitatem Ordinationis quænam pertineant. 179. expenduntur caſus huc pertinentes. 178
Oſculum. De oſculo altaris. 30. & Evangelii. 50

P

Palliæ duplicis uſus Theatinis conceſſus. 11
Panis triticeus eſt materia neceſſaria Sacramenti Euchariſtici. 181
Parochus quibus diebus teneatur celebrare. 152. quibus pro populo Sacrificium offerre. 170. an in Natali Domini tres Miſſas applicare. 177
Particula immittenda in Calicem qua parte abrumpi debeat. 220. Si calici adhæreat, quomodo haurienda. 221. Particulæ clauſæ an poſſint conſecrari. 227. an Præfatione incœpta. 228. an non advertente Sacerdote. ibid. quid ſi præconceptum mente numerum non exæquent? 229. particulas plu-

plures num liceat uni eidemque perſonæ tribuere. 236. Particula in pectus feminę delapſa quomodo excipienda. 240
Patena a quo conſecranda. 8. unde ejus uſus repetendus. 9. Patenæ miniſteriales cujuſmodi. 10
Pax. Cur non detur pacis oſculum in Miſſis Defunctorum. 120. quomodo olim daretur. 121
Percuſſio trina pectoris unde ducta. 27
Petra ſacra omnino neceſſaria ad celebrandam Miſſam. 6
D. Petrus num primus ad Apoſtolatum vocatus. 111
Planeta cujuſmodi olim fuerit. 16
Pontifex Romanus ſtola ſemper utitur. 16
Poſtcommunio quot orationes habeat. 143.
Præfatio quid ſit. 65. quotuplex. 66. quæ ejus origo. 65
Præſentia moralis quænam ſit. 227
Presbyteri olim ſtolam ſemper adhibebant. 16. die tantum Paſchatis recitabant in Miſſa hymnum *Gloria in excelſis*. 35. an plures poſſint eandem Hoſtiam conſecrare. 215
Propoſitionem aliquam enunciandi modus quotuplex. 82
Pſalmi dicendi a Sacerdote antequam celebret. 22. Pſalmus *Judica me Deus* ex quo tempore ad initium Miſſæ adhibitus. 16

Purificatio digitorum in Miſſa anne olim biberetur. 124
Purificatorii uſus. 19

R

Regulares an poſſint abſolvi ab alio, quam a Superiore ſuo. 187
Reliquiæ Sanctorum cur in Petra Sacra condantur. 3
Remiſſio peccatorum quomodo profluat ex Sacrificio, ex Baptiſmo, & Pœnitentia. 74
Ritus varius in fractura Hoſtiæ. 113. & ſeqq. commiſcendæ aquæ cum vino in Miſſa. 58. & ſeqq. pulſandi campanulam ad Euchariſtiæ elevationem quando invectus.

S

Sacerdos cur dicat *Jube Domine*; Diaconus vero. *Jube Domne*. 49. cur in Miſſa librum & ſe ipſe Crucis ſigno ſignet. ibid. An ullo teneatur præcepto ſacrificium offerendi. 149. quibus diebus. 150. an qui tenetur per ſe ipſum celebrare, ſupplere per alium poſſit. 154. Sacerdos non celebrans an poſſit ſe ipſum communicare. 226. quomodo ab alio debeat Euchariſtiam ſumere. ibid. quomodo olim in fine Miſſæ populo benediceret. 147
Sacrificium. De Sacrificiis Abel, Iſaac,
&

& Melchiſedech. 93. Sacrificia quando cœperint. 94. quot in lege veteri eorum genera. ibid. Sacrificiorum mos num a Gentibus ad Judæos derivatus. 95. quo ſpectent illa verba *Sanctum Sacrificium*. ibid. Sacrificii eſſentia in quo conſiſtat. 125. ad Sacrificii validitatem requiritur, ut Sacerdos ſit rite ordinatus. 178

Sequentiæ quid ſint, & quot, quive earum auctores. 47

Stola quid ſignificet. 19. cujuſmodi olim veſtis fuerit. 16

Symbolum quid ſignificet. 52. quotuplex ſit. 53. Symbolum Apoſtolorum quomodo primum traditum. ibid. Nicœnum a quo conditum. ibid. a quo item Conſtantinopolitanum. 54. quando cœperit in Miſſa recitari. ibid. cur in Miſſa legatur. ibid. quando omittatur. 55

T

Templorum conſecratio unde orta. 2. quot modis templum polluatur. 168

Tractus quid ſit. 45. quando dicatur. 46

V

Veſtes olim eædem Clericorum & Laicorum. 14. Veſtium ſacrarum color quis & quotuplex. 17

Via-

Viaticum ægro, qui nequit illud deglutire, an deferendum, ut adoret. 235. an præberi poſſit ſub ſpecie vini, ſi æger deglutire nequeat ſub ſpecie panis. 236. an ſub panis ſpecie aqua, vel vino tinctum. ibid.

Vinum quale adhibendum in Miſſa. 182. an remaneat Sacramentum, ſi conſecrato vino commiſceatur magna vis aquæ, aut magna vis vini. 182

Vox ſubmiſſa quid ſibi velit. 135

FINIS.

ANT 1319917